# EPHEMERIDES CAESARIANAE

## RERVM INDE AB INEVNTE BELLO AFRICANO VSQVE AD EXTREMVM BELLVM HISPANIENSE GESTARVM

AD RITE OBTINENDOS SVMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES SCRIPSIT AMPLISSIMO IN VNIVERSITATE FRIDERICIA GVILELMIA RHENANA PHILOSOPHORVM ORDINI TRADIDIT DEFENDETQVE VNA CVM SENTENTIIS CONTROVERSIS PUBLICE DIE IX MENSIS MARTII A. MDCCCLXXXIX HORA XII

EVGENIVS FOVRER.

ADVERSARII ERVNT

MATTHIAS HEITZMANN DR. PHIL.
HUGO LOEWE DR. PHIL.
PAULUS FRITSCH STUD. PHIL.

BONNAE
TYPIS PETRI HAUPTMANNI
MDCCCLXXXIX

# HENRICO NISSENO.

Constat res gestas recte intellegi non posse, nisi et temporum et locorum diligentissime habeatur ratio. Haud inutilem igitur operam navasse mihi videor, dum res a Caesare annis 47—45 a. Chr. n. in Africa et in Hispania gestas ad certos menses diesque revocare studui. Nam de locis et Tissotus (Recherches sur la campagne de César en Afrique par M. Ch. Tissot, cfr Mémoires de l'Institut national de France, tome XXXI) et Hurtadi fratres (Munda Pompeiana, Memoria escrita por D. José y D. Manuel Oliver Hurtado, Madrid 1860) disputarunt optime, tempora non investigarunt. Cum autem pauci dies a scriptoribus ipsis notentur plurimique ratiocinatione computandi sint, ea iam indicanda esse puto quibus tota disputatio innititur fundamentis.

Atque primum quidem tradunt fasti publici populi Romani quibus diebus Thapsi et Mundae decertatum sit. Luculentiores vero sunt duo auctores belli Africani et Hispaniensis qui interfuerunt bellis ipsis et commentarios videntur scripsisse ut usui essent Hirtio in narrandis ultimis bellis a Caesare gestis. (cfr C. Nipperdey, de supplem. commentar. Caesaris, Berol. 1846). Auctor enim alter inde ab ineunte bello Africano affuit usque ad extremum atque ‚narrationis seriem non ita instituit ut quae re coniuncta erant, componeret sed secundum temporis ordinem omnia distraxit' (Nipperd. Comment. p. 15). Duodecim dies ille in narratione ascripsit. Alter vero auctor ab Ateguae demum oppugnatione in exercitu Caesaris fuisse putandus est. Cum enim ab initio belli Hispaniensis ad Ateguae obsidionem usque res gestas summas tantum attigerit, inde autem quibus diebus et quo ordine res gestae sint diligentissime narraverit, veri simillimum est hunc ineunte bello nondum affuisse sed cum iis advenisse copiis quae a Caesare in itinere relictae restituta dictatoris valetudine occurrerunt (cfr infra Argum. adn. 64). Tres tantum dies hoc in commentario ascripti sunt. Temporis denique quod interest

inter bellum Africanum et bellum Hispaniense aequalis auctor fere non exstat; quae enim Cicero scripsit de rebus gestis aestate anni 46. a. Chr. n., pauca sunt paucaque docent. Qua de re in iis magis acquiescendum est quae traduntur a scriptoribus posterioris temporis.

Jam vero gravissima oritur quaestio de ratione quae est inter annum veterem et Julianum. Nimia enim socordia usi sunt hac in re et veteres et recentiores. Nam Cassius Dio et Plutarchus, quae in fontibus eorum notabantur tempora, anni putaverunt esse Juliani atque Caesarem narraverunt in Africam profectum esse τοῦ χειμῶνος μεσοῦντος (Dio XLIII 56) vel περὶ τροπὰς χειμερινάς (Plut. Caes. 52). Eodem modo erravit Tissotus, cum putaret mensem de quo agitur in bello Africano I 1 congruere cum mense anni ad cursum solis accommodati (Recherches p. 5). At qui traduntur dies in belli Africani commentario non Juliani sed veteris esse anni cum ex aliis rebus tum ex eo elucet quod auctor ille vergilias occidisse affirmat circa VI Cal. Febr. (bell. Afric. 47. 1 edit. Nipp.). Vergiliae autem hoc tempore prope Ruspinam non exeunte Januario anni 46 sed die 31 mensis Octobris anni 47 occiderunt (Frühuntergang). [1])

Quod attinet ad commutandos veteres fastos in fastos Julianos, probare non potui computationem viri doctissimi Le Verrier (Napoléon, Histoire de J. César II p. 549) qui neglecta Censorini auctoritate (de die nat. 20) anno 46 a. Chr. n. mensem Mercedonium non intercalavit. Itaque et duos menses Intercalarios dierum 67 inter mensem Novembrem et Decembrem interposui et mensi Februario 23 dies Intercalarios addidi. Calendas Januarias anni 708 u. c. cum a. d. III Id. Oct. congruere volui.

---

1) Ed. Dory seminarii philosophici Alixensis professor me rogante hanc rationem duxit. cfr etiam Ideler (Handbuch der math. u. tech. Chronol. I p. 242) qui computavit anno 800 a. Chr. n. lat. 38° vergilias occidisse (Frühuntergang) die 26 m. Oct.. et Ideler (Abhdlgn der Kg. Akad. der Wiss. Berlin 1822 u. 23 p. 152 sq.) ubi docet anno 44 a. Chr. n. lat. 41° 51′ vergilias die 9 Nov. occidisse.

# EPHEMERIDES.

| Anni veteris 47a.Chr.n. | Anni Juliani 47a.Chr.n. | |
|---|---|---|
| 17 Dec. | 30 Sept. | Caesar Lilybaeum pervenit (b. A. 1. 1. App. II 95. Plut. Caes. 52. 1). |
| | in. Oct. | In dies naves adaugentur, legiones conveniunt; quae cum primum advenerunt, Caesar navibus eas imponit et insulam Aponianam petere iubet (b. A. 1. 5; 2. 2).[1] |
| 25 | 8 | Caesar ipse navem conscendit et Aponianam proficiscitur. Inde cum sex legionibus duobusque milibus equitum Africam petit (b. A. 2. 1, 4). |
| 28 | 11 | Navibus praeter paucas vento dispersis Caesar in Africae conspectum venit (b. A. 2. 5). |
| 29 | 12 | Caesar naves appellit Hadrumetum eodemque die militum escensione facta, qui erant 3000 peditum et 150 equites, castra ponere iubet ante oppidum (b A. 3. 1, 2. Dio XLII 58. 4. Suet. Caes. 59. Plut. Caes. 52.[2] |
| 46a.Chr.n. | | |
| 1 Jan. | 13 | Caesar Ruspinam contendit (b. A. 6. Dio XLII 58. 4). |
| 2 | 14 | Caesar Leptim movet. Pars navium depulsarum eo advenit (b. A. 7. 1, 3); reliquas conquirendas et secundum commeatum e Sicilia arcessendum curat (b. A. 8. 1, 2).[3] |
| 3 | 15 | Caesar sex cohortibus Lepti relictis Ruspinam revertitur (b. A. 9. 1). |
| 4 | 16 | Navium pars de qua timebat Caesar in portum Ruspinae confertur albente caelo (b. A. 11. 1). |
| | | Eodem die Labienus cum magnis equitum peditumque copiis Caesari frumentanti supervenit. Caesar hostium coronam novo genere pugnae perrumpit. Petreium cum |

| | | |
|---|---|---|
| | | equitibus Numidis peditatusque sat magnis copiis proelium redintegrantem in fugam conicit (b. A. 12—20. Dio XLIII 2. 1, 2. App. II 95). |
| c. 5 | c. 17 | Nuntius affertur de Scipionis adventu; Caesar castra munit, e remigibus partem armat, arma fabricari, e Sicilia quae sibi ad bellum gerendum necessaria sint, afferri iubet (b. A. 20. Dio XLIII 2. 3. App. II 96).[4] |
| eod. f. temp. | eod. f. temp. | Cn. Pompeius cum exercitu ad Ascurum Mauretaniae oppidum progressus indeque propulsus ad Baleares insulas se convertit (b. A. 22; 23. Dio XLII 56. 4; XLIII 29 2, 3). |
| 7 | 19 | Scipio Labieni et Petrei copiis sibi adiunctis 3 m. p. a castris Caesaris considit (b. A. 24. 1). |
| | | Donec frumentum e Cercina insula supportatur, exercitus Caesaris vehementer commeatus inopia laborat. Jumenta algis e litore collectis nutriuntur (b. A. 24. 3, 4. Plut. Caes. 52. 4).[5] |
| priore parte Jan. | altera parte Oct. | Juba magnis copiis appropinquat. Cirta expugnata Sittius et Bocchus Numidiae partem depopulantur. Juba in regnum revertitur (b. A 25. Dio XLIII 3 App. II 96).[6] |
| 7—23 Jan. | 19 Oct.—4 Nov. | Exposcit Caesar ut exercitus e Sicilia quam celerrime sibi transportetur. Commeatum summo desiderio exspectat (b. A. 26. 3, 4, 5. Dio XLIII 4. 1). |
| | | Labienus re infecta a Leptis expugnatione recedit (b. A. 29. 3. 4). |
| | | Scipio cotidie pro castris copias instruit. Caesar proelio supersedere statuit. (b. A. 30. Dio XLIII 4. 1). |
| | | Numidae Gaetulique cotidie partim in regnum partim in castra Caesaris perfugiunt (b. A. 32. 3. Dio XLIII 4. 2). |
| | | C. Messius Considium Longum praevenit et Acillam occupat (b. A. 33. 4). |
| c. 23 | c. 4 Nov. | C. Sallustius Caesari ex Cercina insula sat |

| | | |
|---|---|---|
| | | magnam frumenti copiam mittit (b. A. 34. 3).[7] |
| | | Alter commeatus 2 legionum 800 equitum gallorum 1000 funditorum sagittariorumque Ruspinam pervenit (b. A. 34. 4. Dio XLIII 4. 3). |
| 26 | 7 | Caesar castra movet vigilia tertia, in iugum ascendit quod ab Uzitta spectat in orientem solem, iugi colles munit castellis, ab ultimo colle Numidarum praesidium deicit, Labienum subvenientem fundit (b. A. 37—41. Dio XLIII 4. 4).[8] |
| c. 28 | c. 9 | Considius Acillam quam obsidebat, deserit atque itinere per regnum Jubae facto Hadrumetum se recipit (b. A. 43).[9] |
| non multo post diem 26 | non multo post diem 7 | Nimbus tentoria militum Caesaris subruit, victum corrumpit (b. A. 47).[10] |
| | | Juba a Scipione accitus e regno revertitur atque magnis copiis Uzittam pervenit, superbe se gerit, Scipionem cogit sagulum deponere purpureum (b. A. 48. 1, 2; 57. 5. Dio XLIII 4. 6).[11] |
| in. Febr. | med. Nov. | Caesari cum per summum progressus esset iugum contenderetque ut collem Scipioni propinquiorem occuparet, insidiae instruuntur a Labieno; Caesar hostem in fugam vertit, collem capit munitque. (b. A. 49—51. Dio XLIII 4. 5).[12] |
| | | Caesar a castris suis duo brachia Uzittam versus ducere incipit (b. A. 51). |
| | | Hostes cum impetum facerent in Caesarianos qui ab opere in castra redeunt, multis interfectis repelluntur (b. A. 52. 1—5). |
| | | Multi ex quarta et sexta Scipionis legionibus equitesque Curioniani transfugiunt (b. A. 52. 5. Dio XLIII 5. 1, 2). |
| ex. Febr. vel. in. Merced. | in. Dec. | Legiones decima et nona siti inopiaque confectae Ruspinam appellunt (b. A. 53. Dio XLIII 6. 3).[13] |
| | | Gaetuli Caesaris litteris concitati a Juba de- |

# HENRICO NISSENO.

| | | |
|---|---|---|
| | | psum gestis cfr etiam Dio XLIII 7—9. 1. Livium CXIV. Strab. XVII 3. 12. Plut. Caesar 53. Cat. min. 58. Suet. 35. App. II 96—98). |
| 7 | 7 | Caesar Uzittam ex itinere potitur, Hadrumetum pervenit (b. A. 89. 1, 2).[24] |
| 7 vel 8 | 7 vel 8 | Equites Scipionis qui ex proelio fugerant, Paradam capiunt, incolas igni necant (b. A. 87. 1. Strab. XVII 3. 12. Plut. Cat. min. 62. 1).[25] |
| 8 vel 9 | 8 vel 9 | Thisdra in deditionem venit (b. A. 93. 1, 2).[26] |
| 8 | 8 | Nuntius Caesaris victoriae Uticam perfertur (Plut. Cat. min. 58. 7. App. II 98).[27] |
| 10 | 10 | Cato mortem sibi consciscit (b. A. 88. 3, 4. cfr Dio. XLIII 10, 11. Livium CXIV. Plut. Cat. min. 58—73. App. II 98—101). |
| 11 | 11 | Caesar Uticam ingreditur. Uticenses laudat, accusat negotiatores eosque multat miliens sestertio vita concessa (b. A. 90).[28] |
| c. 14 | c. 14 | Juba Zamam pervenit (b. A. 91. 1, 2).[29] |
| | | Rex cum Zamenses nequiquam obsecrasset ut se exciperent, cum Petreio in villam suam contendit (b. A. 91. 4, 5).[30] |
| med. Apr. | med. Febr. | C. Vergilius Thapsum tradit Caninio Rebilo (b. A. 93. 3).[31] |
| c. 20 | c. 20 | Juba rex singulari certamine Petreium percutit, ipse suo iussu a servo interficitur (b. A. 94. Cfr Dio XLIII 8. 4. Livium CXIV. Strab. XVII 3. 12. Plut. Caes. 53. App. II 100).[32] |
| | | P. Sittius L. Afranium et Faustum Sullam vivos capit, equites eorum numero circiter 1000 interficit aut in deditionem accipit (b A. 95. 1, 2).[33] |
| | | L. Afranius et Faustus Sulla interficiuntur (b. A 95. 3. Suet. Caes. 75).[33] |
| c. 20 | c. 20 | Caesar Zamam pervenit. Regis adversariorumque bona vendit, iis qui secum stabant, tributa vectigaliaque regia remittit. Numidiam provinciam constituit et Crispo |

| | | |
|---|---|---|
| | | Sallustio proconsuli tradit (b. A. 97. 1. App. II 100).[34] |
| | | Caesar Sittio et Boccho Maurorum regi Numidiae partem donat quae spectat ad occidentem (App. IV 54).[35] |
| ex. April. | ex. Febr. | Scipio ad Hipponem regium interit (b. A. 96. ad fam. IX 18. 2. Livius CXIV. Dio XLIII 9. 5. App. II 100).[36] |
| ex. April vel in. Maio | ex. Febr. vel in. Mart. | Caesar Uticam reversus bona vendit eorum qui sub Juba et Petreio ordines duxerant (b. A. 97. 2). |
| ext. April. vel in. Maio | ext. Febr. vel in. Mart. | Romae summi honores Caesari decernuntur a senatu (Dio XLIII. 14). |
| Maio et in. Junio | Mart. et in. April. | Caesar multam imponit civitatibus (b. A 97. 2, 3. Dio XLIII. 14; 18. Plut. Caes. 55).[37] |
| Maio | Mart. | Caesar milites vetustiores militia solvit (Dio XLIII 14).[38] |
| 13 | 14 | Caesar Utica sovit (b. A. 98. 1). |
| 16 | 17 | Caesar Carales pervenit (b. A. 98. 1). |
| | | Caesar Caralibus classem mittit in Hispaniam Didio duce (Dio XLIII 14. 2). |
| 27 | 28 | Caesar Caralibus solvit (b. A. 98. 2. ad fam. IX 6. 1). |
| 25 Quint. | 25 Mai. | Caesar Romam venit (b. A. 98. 2). |
| ext.Quint. | ext. Maio | Caesar orationem habet in senatu. Apud populum verba facit. Senatores et cives metu liberare studet (Dio XLIII 18. 6. Plut. Caes. 55. 1).[39] |
| in. Sext. | in. Junio | Caesar triumphat ex Gallia. |
| Sext.proc. | Jun. proc. | Caesar triumphat ex Aegypto. |
| | | Caesar triumphum agit Ponticum. |
| altera parte Sext. | altera parte Jun. | Caesar triumphat ex Africa (Dio XLIII 19. 1. Liv. CXV. Plut. Caes. 55. 1. Suet. Caes. 37. App. II 101. Flor. II 13. Vell. Pat. 56). |
| paulo post | paulo post | Caesar populo epulum dat ac viscerationem Dio XLIII 21. 3. Livius CXV. Plut. Caes. 55. Suet. 38).[40] |
| paulo post | paulo post | Singulis qui frumentum e publico accipiebant, pecuniam frumentum oleum donat. Veteranis singulis 24 milia sestertium |

| | | |
|---|---|---|
| | | distribuit, militibus non veteranis 20, centurionibus 40, tribunis militum 80 milia sestertium (Dio XLIII 21. 3. Suet. Caes. 38. App. II 102).[41] |
| m. Sextili | m. Junio | Navibus ad Hispaniae litora quae sunt in Balearum conspectu, appulsus Cn. Pompeius urbes quasdam non invitas capit. Carthaginem oppugnat (Dio XLIII 30. 1).[42] |
| ex. fere Sextili | ex. fere Junio | Q. Scapula e Baetica ad Pompeium cum copiis contendit eumque summum ducem eligit (Dio XLIII 30. 2).[43] |
| 26 vel 25 Sept. | 23 vel 24 Quint. | Caesar forum dedicat et templum Veneris genetricis (C. I. L. I p. 298. 320. Eph. ep. I 39. Dio XLIII 22. 2. |
| Sept. et Oct. | Quint. et Sextili | Cn Pompeius ad quem copiis praesertim Afranianis auctum ex Africa Sextus frater et Varus et Labienus cum navibus advenerant, animo elato per Hispaniam citeriorem contendit civitatesque partim superatas partim non invitas in deditionem accipit (Dio XLIII 30. 4, 5).[44] |
| ex. Sept. et m. Octobri | ex. Quint. et m. Sextili | In honorem filiae Caesar varios edit ludos (ad fam. XII 18. 2. Dio XLIII 22. 3, 4; 23. Suet. Caesar 26; 39. App. II 102. Plin. N. H. IX 81. Nic. Damasc. B. K. 9).[45] |
| ex. Oct. | ex. Sext. | Caesar militum tumultum sedat (Dio XLIII 24. 3, 4).[46] |
| ex. Sextili | ex. Junio | Caesar militibus agros assignat (Dio XLII 54. 1. ad fam. IX 17; XIII 8. Suet. Caes. 38. App. II 133).[47] |
| ex. Oct. vel in. Nov. | ex. Sext. vel in Sept. | Caesar recensu facto 320000 frumentum recipientium e publico ad 150000 retrahit (Dio XLIII 21. 4. Livius CXV. Suet. Caes. 41. App. II 102).[48] |
| ex. Oct. | ex. Sext. | Cum Caesar in Hispania exspectaretur, Cn. Pompeius in Baeticam contendit. Ab hoc confestim Hispania quae ad mare vergit, deficit. Varus a Didio apud Carteiam vincitur (Dio XLIII 31. 2, 3)[49] |
| m. Nov. | m. Sept. | Caesar iudicia ad ordinem equestrem ac sena- |

| | | |
|---|---|---|
| | | torium redigit, tribunos aerarios tollit (Dio XLIII 25. 1. Cic. Phil. I 8. Suet. Caes. 41. Gell. N. A. 14. 2).[50] |
| m. Nov. | m. Sept. | Caesar legem fert sumptuariam.[51] |
| | | Caesar legem fert de provinciis, ne provinciae praetoriae plus quam annum, consulares plus quam biennium obtinerentur (Dio XLIII 25. 3. Cic. Phil. I 8; V 3; VIII 9).[50] |
| ? | ? | Caesar leges fert de liberis legationibus (ad Att. XV 11. 4), de vi et maiestate (Cic. Phil. I 9. Suet. Caes. 42), de collegiis (Suet. Caes. 42. Josephus A. J. XIV 10), de sacerdotiis (Cic. ad Brut. I 5).[52]) |
| | | Caesar a Sosigene et M. Flavio adiutus fastos corrigit.[53] |
| | | Caesar senatum supplet.[54] |
| | | Cleopatra Romae moratur.[55] |
| ext. Nov. vel in. Interc. prior. | ext. Sept. vel in. Oct. | Cicero apud Caesarem orationem habet pro Ligario (Vide adn. 56). |
| | ext. Sept. vel in. Oct. | Caesar dictator tertium in Hispaniam proficiscitur (b. H. 2. 1. Dio XLIII 32. 1. App. II 103).[56] |
| | ex. Oct. | Caesar Obulconem pervenit (Strabo III 4. 9).[56] |
| | ex. Oct. vel in. Nov. | Caesar Cordubam contendit (Dio XLIII 32. 3).[57] |
| | | Cn. Pompeius parte exercitus ante Uliam relicta Cordubam pergit urbeque potitus Sexto fratri custodiendam tradit. Caesar Pompeio decedit (Dio XLIII 32. 4. b. H. 3. 1).[58] |
| | | Cn. Pompeius Uliam reversus nihil proficit. Cuius urbis turre collapsa incolisque fortiter repugnantibus Caesar accedit et L. Junium Paciaecum cum praesidio immittit (Dio XLIII 32. 5, 6. b. H. 3. 2).[59] |
| | | Caesar Cordubam progressus Baeti ponte imposito urbem obsidere incipit (Dio XLIII 32. 6. b. H. 4–5, 2 .[60] |
| | | Ulia relicta Cn. Pompeius omnibus copiis Cordubam contendit (Dio XLIII 32. 6. b. H. 4. 5).[61] |

| | |
|---|---|
| ex. fere Nov. | Caesar Corduba decedit atque in morbum incidit (Dio XLIII 32. 6).[62] |
| Dec. et Jan. | Caesaris copiae hieme sub tenuibus tentoriis rei frumentariae difficultate laborantes vitam degunt (Dio XLIII 32. 7).[63] |
| ex. Dec.<br>45 a.Chr.n. | Caesar consul creatur quartum (Dio XLIII 33. 1. Plut. Caes. 56. 1. Suet. Caes. 76). |
| ext. Jan. vel in. Febr. | Caesar postquam convaluit, cum copiae in itinere relictae advenissent, Baetim transgreditur et Ateguam contendit (Dio XLIII 32. 7; 32. 2. b. H. 6. 1).[64] |
| in. Febr. | Caesar oppidum vallo fossaque circummunit atque obsidet (b. H. 6. 3. Dio XLIII 33. 3). |
| 6 | Pompeius subito erumpit, equites Caesarianos qui in statione sunt, concidit, Munatium Flaccum qui oppido praesit, intromittit (b. H. 6. 4—7. Dio XLIII 33. 4).[65] |
| 7 | Pompeius Salsum transmittit et castra ponit inter Ateguam et Ucubim (b. H. 7. 1). |
| 8 | Pompeium castrorum Postumianorum castellum oppugnantem Caesar in fugam vertit (b. H. 8. 6—10. 1). |
| 9 | Ex Italia ad Caesarem auxilia veniunt (b. H. 10. 1, 2).<br>Pompeius Cordubam contendit (l. l. 10. 3). |
| 12 | Oppidani cum Caesaris opera e muris incendere conati essent (b. H. 11. 2; 12. 4), ex urbe erumpunt sed a Caesarianis repelluntur (b. H. 12. 6). |
| 13 | Pompeius brachium ducit ad Salsum (b. H. 13. 1). |
| 14 | Muri parte deiecta a praesidio Ateguano legati mittuntur, quibus Caesar respondet: se condiciones dare, non accipere. Legatis in oppidum reversis vehementissime hinc atque illinc tela coniciuntur (b. H. 13. 4. Dio XLIII 34. 5). |
| 15 | Trans Salsum castello constituto et militibus stationis Caesarianae propulsis Pompeius longius progreditur sed a Caesarianis in castra redigitur (b. H. 14—15. 5). Hospites Ateguani iugulantur et de muro praecipitantur (b. H. 15. 6). |
| 16 | Eruptione omnibus copiis facta hostes a Caesare in urbem reiciuntur (b. H. 16. 1—5). |
| | Pompeius militibus ostendit se exercitum ad mare deducturum esse, quod Ateguae subsidio venire non posset (b. H. 18. 5). |

| | |
|---|---|
| 17 | Secunda legatione nihil efficitur (b. H. 17; 18. 1, 2). |
| 18 | Ab oppidanis frustra de muris multitudine telorum missa igneque, Munatius Flaccus a Caesare petit ut vitam sibi concedat, itemque legati oppidum postero die se tradituros esse pollicentur (b. H. 19. 1—6. Dio XLIII 34. 3). |
| 19 | Caesar Ategua potitur atque imperator appellatur (b. H. 19. 6. Dio XLIII 34. 5). |
| 19 | Pompeius Ucubim movet (b. H. 20. 1)[66] |
| 20 | Caesar Ategua decedit atque dextra Salsi ripa castra ponit (b. H. 20. 1).[67] |
| | Legati Caesaris qui Ursonenses Ateguae captos Ursonem comitati sunt ut per eos oppidi deditio fieret, ante portas interficiuntur (b. H. 22. 1—4). |
| 22 | Pompeius 74 Ucubenses, qui Caesaris fautores esse dicebantur, securi iubet percuti; qui supersunt 120 ad Caesarem fugiunt (b. H. 21. 3).[69] |
| ext. Febr. | Auctor legatorem caedis Ursone potitus principes interficit eorumque bona vendit (b. H. 22. 6, 7).[68] |
| 4 Mart. | Caesarianos dum brachium ad Salsum ducunt, aggressi hostes ab equitatu Caesaris ad vallum usque propulsantur (b. H. 23).[70] |
| 5 | Proelium fit ad Soricam (b. H. 24).[71] |
| | Equites Romani qui sunt in castris Pompeianis, inter se coniurant transfugituri ad Caesarem (b. H. 26. 3). |
| 6 | Antistius Turpio et Q. Pompeius Niger singulari certamine decertant. Pompeiani Caesaris equites insecuntur sed multis amissis repelluntur. Caesar turmam Cassianam praemiis afficit. Litterae a Cn. Pompeio ad Ursonenses missae intercipiuntur. (b. H. 25. 26).[72] |
| 7 vel 8 | Pompeius castra movet atque Ucubim incendere iubet (b. H. 27. 3, 4).[73] |
| 8 | Caesar Pompeium sequitur (b. H. 27. 3).[74] |
| brevi post | Caesar cum Ventiponem oppugnare coepisset, oppidum in deditionem venit (b. H. 27. 5).[75] |
| med.Mart. | Caesar Pompeium ad oppidum Carrucam secutus castra contra eum ponit. Pompeius Carrucam incendit (b. H. 27. 5).[76] |
| 16 | Caesar et Pompeius im campum Mundensem perveniunt ibique castra faciunt (b. H. 27. 6).[77] |

| | |
|---|---|
| 17 | Pugna fit ad Mundam. (b. H. 28—32. Livius CXV. Dio XLIII 36. 37. 38. Plut. Caes. 56. Suet. Caes. 35. App. II 104. 105).[78] |
| | Pompeianorum alii castra petunt ibique conciduntur, alii Mundam, alii Cordubam. Cn. Pompeius Carteiam fugit (B. H. 32. Dio XLIII 40. 1. App. II 105). |
| 18 | Caesar munitione facta Q. Fabium Mundam obsidere iubet, ipse Cordubam contendit (b. H. 41. 1. 33. 1).[79] |
| | Sextus Pompeius Corduba fugit (b. H. 32. 4) atque Hispaniam citeriorem petit (ad Att. XII 37. 4. Plut. Caes. 56).[80] |
| 19 | Scapula Cordubae rogum conscendit, (b. H. 33. 3—34. App. II 105).[81] |
| 20 | Caesar Baetim transgressus ante Cordubam castra ponit (b. H. 33. 2).[82] |
| 21 | Dissensione Cordubae orta Pompeiani primum defendere oppidum deinde incendere incipiunt. Caesar Pompeianis superatis Corduba potitur. Amplius 22000 hostium interficiuntur, reliqui sub corona veneunt (b. H. 34. 1—5. Dio XLIII 39. 1. App. II 105.[83] |
| c. 24 | Hispali cum appropinquasset, Caesar Caninium legatum cum praesidio oppidanis mittit, ipse ad oppidum castra ponit (b. H. 35. 1. Dio XLIII 39. 2).[83] |
| ext. Mart. | Carteiae dissensione orta inter Pompeianos et Caesarianos Cn. Pompeius vulneratus cum 20 navibus fugit (b. H. 37. 1, 2. Dio XL 1. App. II 105).[84] |
| in. Apr. | Lennii comparata Lusitanorum manu non parva Philo Hispalim regressus praesidium Caesaris occidit, portas claudit, rursus pugnare incipit (b. H. 35. 2—36. Dio XXXIX 2).[83] |
| c. 5 Apr. | Caesar dum Lusitani e muris eliciti ab equitibus conciduntur, Hispali potitur (b. H. 36. 2, 3, 4. Dio XLIII 39. 3).[83] |
| c. 5 | Cn. Pompeius apud Lauronem a Caesonio Lentone interficitur (b. H. 39. 3. Oros. VI 16. Florus II 13. Dio XLIII 40. 1. Vell. Pat. 56).[84] |
| c. 8 | Caesar Hastam venit. Oppidum se tradit (b. H. 36. 4).[83] |
| 12 | Caesar Gadibus moratur. Dona Herculi consecrata exigit (b. H. 39. 3. Dio XLIII 39. 4).[83] |

| | |
|---|---|
| 12 | Caput Pompei Hispalim allatum populo ostenditur (b. H. 39. 3. App. II 105. Plut. Caes. 56).[85] |
| c. 12 | Didius interficitur (b. H. 40. 6. Dio XLIII 40. 2).[85] |
| brevi post | Q. Fabius Munda potitur, caedem facit magnam, 14 millia capit vivos (b. H. 41. 1, 2. Dio XLIII 39. 4).[87] |
| brevi post med. Apr. | Caesar Hispalim reversus contionem habet civesque incusat quod immemores essent beneficiorum (b. H. 40. 8; 42. ad Att. XIII 20. 1).[86] |
| | Q. Fabius Ursonem oppugnat (b. H. 41. 2—42).[87] |

# ARGUMENTATIO.

1. Nullo alio loco Aponianae insulae fit mentio. Videtur eadem esse atque Aegusa insula (Favignana), quae ex Aegatibus Siciliae proxima est; Caesar enim postquam Lilybaeo die 8 m. Oct. naves solvit, classem ad Aponianam insulam *statim* consequitur (b. A. 2. 4).

2. Caesar eodem die ad Hadrumetum naves appulit quo in Africae conspectum venit. Hadrumeti enim militum escensione facta (b. A. 3. 2) postquam *unam noctem et diem* ante oppidum consedit (l. l. 5. 1), Calendis Januariis = 13 Oct. Ruspinam[1]) contendit (l. l. 6).

3. Leptis hodie Lemta (Tissot, Rech. p. 11 et 12. C. J. L. VIII. 1 p. 11). Abest a Ruspina 8 m. p. cfr Carte de la Tunisie, dépôt de la guerre 1884 $\frac{1}{800000}$.

4. Scipionem appropinquaturum esse die tertio post proelium cum Labieno factum Caesari nuntiatur (b. A. 20. 2). Quo cum convenit quod Cassius Dio proelio ad Ruspinam narrato tradit . . . προςδεχόμενος δὲ καὶ τὸν Σκιπίωνα τόν τε Ἰόβαν πάσαις, ὥσπερ ἠγγέλλοντο, ταῖς δυνάμεσιν εὐθὺς ἀφίξεσθαι, διηπόρει (Caesar) XLIII 2. 3. Sed Scipionem reapse advenire potuisse illo tempore haec docent. Utica non prius discedendum erat Scipioni quam quem ad locum Caesar naves appelleret, comperisset; qui nuntius non ante diem 12 m. Oct. Uticam pervenire potuit, cum Caesar die 11 secundum oram Africanam Hadrumetum contenderet. Scipio igitur si die 1 Jan. Utica discessit, Hadrumetum pervenire die 16 ibique 2 dies commoratus adiunctis sibi Labieni et Petrei copiis noctu itinere facto (b. A. 24. 1) die 19 mane exercitum ad castra Caesaris admovere potuit. Utica Tunem Putput Hadrumetum iter est 110 m. p. (Carte de la Tunisie, dépôt de la guerre).

---

[1]) Hodie esse Monastir urbem firmis argumentis demonstravit Tissotus atque Ruspina voce contineri Poenorum ראש פנה (caput anguli) acutissime coni cit. (Tissot, Rech. p. 11 sq. et géogr. comparée de la province Romaine d'Afrique p. 179. cfr C. I. L. VIII 1 p. 14). Ruspina ab Hadrumeto abest 12 m. p. (Daux et Tissot, Tab. 1).

5. Hodie Kerkenna ins. cfr Tissot, Géographie comparée I, p. 184 sq.

6. Auctor b. A. narrat Jubam nuntio allato de Cirtae [1] expugnatione ex itinere revertisse 30 tantum elephantis Scipioni relictis (c. 25. 5), Scipionem hos elephantos condocefecisse (c. 27) atque instruxisse ante aciem universis copiis productis (c. 30. 2). Sed Scipio universas copias et elephantos produxit antequam Caesar die 7 m. Nov. Ruspinam reliquit (l. l. 37. 1, 2). Ergo Juba ante hunc diem in regnum rediit. Jam vero accuratius eruendum est quo tempore Juba redierit et quando e regno advenerit. Ac primum quae a Jubae reditu usque ad diem 7 m. Nov. ab Scipione et Caesare gesta sunt (b. A. 27—37), pluris fuisse temporis quam quae extremo mense Octobri et ineunte Novembri ad diem 7 usque fieri possent, itaque Jubam ante extremum Octobrem in regnum rediisse haec docent. Scipio elephantos domat *quod aegre tardeque fiebat* (b. A. 27. 2). *Turmae equitum cotidie minutis proeliis inter se depugnare non intermittunt* (l. l. 29. 1). Scipio *fere cotidie* aciem instruit *quod cum saepius fieret* neque ex Caesaris castris quisquam prodiisset, universis copiis productis elephantos quoque turritos ante aciem instruit (l. l. 30). Scipio miratur Caesarem qui bellum inferre ultro consuevisset, subito *commutatum esse . . . ex eius patientia* in magnum timorem conicitur (l. l. 35 1, 2).

Deinde Juba e regno in provinciam contendit *cognitis Caesaris difficultatibus copiarumque paucitate* (b. A. 25. 1). Ergo non venit antequam Caesar in Africa fuit sed postquam certior factus est Caesarem advenisse et in augustiis esse, i. e. paulo post medium m. Octobrem. Sequitur quoque ex iis quae eruimus Jubam non esse profectum ex Cirta regni sui sede. Nam ex Caesaris fere adventu usque ad exeuntem Octobrem fieri non potuit ut Juba de dictatoris praesentia difficultatibusque certior factus cum copiis ad regionem Ruspinensem usque accederet (b. A. 25. 4). Sed nihil impedit quominus putemus regem Zama advenisse *ubi ipse domicilium coniuges liberosque habebat, quo ex cuncto regno omnem pecuniam carissimasque res comportaverat quamque inito bello operibus maximis munierat* (b. A. 91, 2). Zama hodie est Djiamâa (Hermes XX p. 144 sq).

---

[1]) Cirta hodie Constantine. Cirta Thevesten Sufetulam Hadrumetum numerantur 316 m. p. (Itiner. Anton. p. 11 et 24).

2

7. Naves onerariae ex Cercina insula missae eodem tempore atque alter commeatus Siciliensis Ruspinam perveniunt; Caesar enim *duplici laetitia uno tempore* augetur *frumento auxiliisque* (b. A. 34, 5). Hoc commeatu recepto Caesar statim naves Lilybaeum remittit, VI Cal. circiter vigilia prima imperat speculatores apparitoresque omnes ut sibi praesto essent, vigilia tertia Uzittam versus contendit (b. A. 37. 1, 2). Qua ex narratione patet breve tempus intercessisse inter classium adventum et Caesaris profectionem ut opinor, unum diem vel duos i. e. quantum tempus necessarium erat ad legiones equitesque ex languore nauseaque reficiendos (b. A. 34. 5). Ergo classes die fere 4 Novembris appulsas esse conicio.

8. Tissoto auctore reliquiae Uzittae 8 m. p. absunt a Ruspina (SSW a Ruspina) (Rech. p. 26 sq).

9. Considius nuntio equestris proelii (die 7 m. Nov. facti) commotus Acillam deserit (b. A. 43). Iter ab oppido Acilla Uzittam sive per Thapsum sive per Sarsuram factum 50 m. p. est. Ergo nuntius ille die 9 m. Nov. Acillam pervenire potuit atque statim Considius decessit ut intellegitur ex verbis auctoris.[1]) Acilla est hodie el Alia in maris litore. Abest a Thapso 22 m. p. (S a Thapso) (Daux et Tiss. Tab. 1). Thapsi ruinae sunt circuitus maximi in promunturio quod vocatur Ras Dimas (C. I. L. VIII, 1 p. 11). Reliquiae Sarsurae ad pagum Bou-Merdès exstant, absunt a Thysdro (El-Djemm) 10 m. p. (N a Thysdro) (Tissot. Rech. p. 44).

10. Nimbus ille Caesaris castra subruit *vergiliarum signo confecto* (b. A. 47. 1) quae occiderunt die 31 Oct. (vide praef. p. 6), et quidem exorta est tempestas illa postquam Caesar die 7 m. Nov. Ruspina decessit. Ea enim fuit causa huius incommodi *quod Caesar non more superiorum temporum in hibernis exercitum continebat sed in tertio quartoque die procedendo propiusque hostem accedendo castra communiebat opereque faciendo milites se circumspiciendi non habebant fa-*

[1]) Tissotus (Rech. p. 28. 29) conicit lacum Kairouanum (sebkha Sidi-el-Hani) provinciam dividisse ab Numidiae regno. Quam ob rem putat Considium ne copias obiceret hostium incursionibus, non recta via Acilla Sarsuram (Bou-Merdès) Avidu vicum (prope Zeremdin) Hadrumetum contendisse sed circumeuntem lacum qua ad occidentem vergit, iter per regnum Jubae fecisse atque Hadrumetum pervenisse.

*cultatem* (b. A. 47. 2). Nimbus autem non multo post diem 7 m. Nov. accidit, nam narratis rebus quae gestae sunt die 7 Nov. (c. 37. 2—41) die 8 Nov. (c. 41—42. 4) die 9 Nov. (c. 42. 4), commemorata Considii fuga quae facta est die cir. 9 eiusdem mensis (c. 43), descripta fortitudine morteque centurionis et veteranorum Caesaris qui *interea* (c. 44. 1) in hostium manus devenerant (c. 44—47), refert auctor imbrem illum ortum esse *per id tempus* (c. 47. 1).

11. Auctor qui singulas res easque levissimas persequi solet, nihil refert inde a nimbo illo (c. 47) usque ad alterum Jubae adventum (c. 48). Qua de causa iudicandum est propter breve tempus nulla accidisse memoranda. Huc accedit quod Juba *de equestri proelio Scipionis certior factus* in provinciam contendit (b. A. 48. 1). Neque usquam rex dicitur ab oppido Cirta Uzittam profectus esse, immo indicari videtur e regione advenisse propinquiori. Rex enim ad Scipionem reversurus narratur Saburram ducem contra Sittium reliquisse (b. A. 48. 1), Sittius autem Cirta expugnata duo cepisse oppida Gaetulorum indeque progressus esse (b. A. 25. 3, 4) sine dubio ad provinciam versus. Ergo regem medio iam mense Novembri Uzittam pervenisse iudico.

12. Caesar Labienum in fugam vertit collemque occupat *postquam animadvertit Scipioni auxilia fere omnia convenisse neque moram pugnandi ullam fore* (b. A. 49 1), i. e. non multo post Jubae adventum.

13. Caesar naves onerarias ineunte mense Novembri *statim* Lilybaeum *ad reliquum exercitum transportandum* remisit (b. A. 37. 1). Itaque necesse est statuamus hunc reliquum exercitum per quem intelleguntur legiones X et IX (b. A. 53. 1), iam tum Lilybaeum convenisse, alioquin Caesar naves non statim in Siciliam reverti iussisset. Naves ventis adiutas secundis Lilybaeo Ruspinam quarto die reverti potuisse constat (b. A. 34. 4). Qua re si addas tempus quod necessarium est ad navigandum Ruspina Lilybaeum, quod ad imponendas copias, commeatum illum ad Ruspinam ineunte altera parte mensis Novembris appropinquasse Ruspinaeque a Caesarianis conspectum esse (b. A. 53. 1) veri simile est, nam ad Ruspinam usque tempestatem navium cursum detinuisse non refert auctor. Sed eo ipse tempore classis cum Caesarianas naves putaret esse hostiles, *vela dedit in altum ac diu mul-*

*tumque iactata tandem multis post diebus siti inopiaque confecta ad Caesarem pervenit* (b. A. 53). Ergo naves non mense Novembri sed potius ineunte Decembri appulsae esse putandae sunt.

14. Caput 55 b. A. quo agitur de Gaetulis, nulla alia de causa ab auctore rebus ad Uzittam gestis hic interponitur quam ut res enarrentur ex temporum serie; ergo hoc circiter tempore Gaetulos ab Juba desciisse censeo.

15. Inter brachia inchoata (b. A. 51. 2) et perfecta (l. l. 56. 1) aliquid temporis intercessit, ut patet ex iis quae auctor intra hos dies gesta esse commemorat: milites Scipionis diffugisse (c. 52. 5, 6), advenisse classem (c. 53), Caesarem postero die tribunos centurionesque dimisisse (c. 54), sex cohortes regias contra Gaetulos profectas esse (c. 55). Sed spatium illud longum fuisse non videtur, res enim illas omnes aliquot diebus contigisse iudicare licet. Praeterea brachia illa potuerunt brevi tempore paucisque militibus confici. Nam ut Dauxi et Tissoti[1]) docet tabula topographica, in longitudinem patebant 1500 passus. Per 10 igitur dies ut exemplo utar, a 533 militibus ad finem perduci potuerunt[2]). Denique ex Cassio Dione (XLIII 6, 3) sequi videtur brachia eodem fere tempore confecta esse, quo X et IX legio advenerunt: . . . ἐλθούσας (legiones) δ' οὖν ποτὲ προςλαβὼν ἀνεθάρσησεν αὖθις (Caesar), καὶ ἐπεξαγαγὼν παρετάξατο πρὸ τῆς ταφρείας.

16. Transfugiunt aliquanto postquam brachia perfecta sunt. His enim factis *illustriores notissimique conspectum amicorum propinquorumque efflagitabant atque inter se colloquebantur*. Deinde *occasione capta* deserunt castra regia (b. A. 56). *Occasione capta* verbis auctor indicare videtur Jubam de Gaetulis suspitionem habuisse ex quo populares eorum rebellassent.

17. *Postero die* quam Numidae fugerant, Caesar et Scipio instruunt copias (b. A. 58. 1). *Postero die* equites Caesariani Numidas Gaetulosque equites 100 interficiunt aut capiunt (b. A. 61. 6). *Caesar interim cotidie copias in campum de-*

---

[1]) Daux et Tissot, tab. 2.

[2]) Napoléon, Histoire d. J. C. II p. 55 . . . . Si l'on songe à la facilité du travail de la tranchée, puisque les terres se jett nt le long du versant, on verra que deux hommes peuvent creuser trois mètres courants de cette tranchée en deux jours.

*ducere atque opus facere, Scipio item munitiones contra facere* contendunt (b. A. 61. 7, 8). Quod dum fit, Caesari *opera cum circumiret,* Varus nuntiatur in classem invasisse. Hoc ipso die Caesar Varum insequitur (l. l. 63), postero die classem Hadrumetinam adoritur (ib.) Varus ergo aliquot diebus post Gaetulorum fugam impetum videtur fecisse.

18. Caesar paucis diebus postquam frumentum invenit (b. A. 65. 1, 2), Labienum in fugam vertit (l. l. 65. 3, 4; 66). At cum non satis pateat quot dies intercesserint inter Vari fugam et frumenti inventionem, ea quae narrantur cc. 65 et 66, in mensem Decembrem aut iam in Januarium conferenda sunt.

19. Inde a discessu Caesaris ab oppido Uzitta (b. A. 67. 1) usque ad diem 21 m. Januarii (b. A. 75. 1) auctor haec narrat. Caesar cum exercitus frumenti inopia laboraret, Aggar [1]) contendit, castra in campo ponit, circum villas frumentatur. *Scipio interim cognito Caesaris discessu subsequitur* atque ab millibus passuum 6 trinis castris cum consedisset (b. A. 67) ad Zetam [2]) frumentandi causa legiones dimittit. Qua re nuntiata Caesar castra in colle collocat, *quarta vigilia* (diei insequentis) Zetam contendit, oppidum capit (b. A. 68), in castra se recipit quo in itinere vix aegreque Labieni Afraniique impetum sustinet (b. A. 69. 70). Milites docet rationem pugnandi cum hoste, *post diem tertium* (l. l. 73. 5.) frustra hostibus proeliandi facit potestatem (l. l. 71. 72. 73.) Omnes has res paucis gestas esse diebus ex ipsa narratione sequitur. Deinde commemorat auctor (c. 74) Vagensium [3]) legatos eo tempore a Caesare praesidium petiisse, Iubam vero oppido potitum esse et incolas ad unum interfecisse. Cum auctor ab eo die quo Caesar hostem ad dimicandum invitavit (c. 73. 5) usque ad diem 21 m. Januarii (c. 75. 1) Vagae tantum casum referat, intra hos dies non ita multum temporis interfuisse opinor. Ergo Caesar mense Januario, non prius

---

[1]) Prope Beni-Hassein pagum. Abest ab Uzitta 9 m. p. (SSO ab Uzitta) (Tissot. Rech. p. 36).

[2]) hodie Kneïs, 17 m. p. ab Aggar (WNW ab Aggar) (ib. p. 36 sq).

[3]) Tissotus conicit Vagam hodie esse Henchir Zaiët 21 m. p. ab Aggar (W ab hoc oppido) (Rech. p. 42).

ad oppidum Aggar contendit. Quae deinde narrantur (c. 67. 2—75. 1), procedente mense Januario gesta sunt.

20. De Thabena vide infra adnot.[1])

21. Caesar II *Non. Apr. tertia vigilia egressus ab Aggar XVI milia nocte progressus ad Thapsum . . . castra ponit oppidumque eo die circummunire coepit locaque idonea opportunaque complura praesidiis occupare, hostes ne intrare ad se ac loca interiora*[2]) *capere possent. Scipio . . . confestim Caesarem consecutus milia passum VIII a Thapso binis castris consedit* (b. A. 79. 2, 3).

22. Scipionem die 5 m. Febr. ad Thapsum per angustias penetrare contendisse sed Caesaris castello exclusum esse intellegitur ex c. 80. 2 ubi Caesar narratur *pridie* castellum muniisse. Scipionem die 5 et nocte insequenti stagnum circumiisse docent verba *postero die et nocte* (c. 80. 3) quae spectant ad *pridie* illud.

---

[1]) Partschius (de viis Africae procons. Vratislaviae 1874) Thabenam b. A. coniecit eandem esse ac Thaenas quae in maris litore sitae ad meridiem versus a Thysdro 50 m. p. aberant. Quem refutare studet Wilmannsius (C. I. L. VIII 1 p. 10); ex Strabone enim patere Thaenas vi captas esse a Caesare, Thabenenses vero non restitisse (b. A. 77. 1), deinde Thaenas inde a tertio bello Punico urbem fuisse provinciae Romanae, cum Thabenenses sub regibus Numidarum fuissent. Sed nulla inest vis Wilmannsii argumentis. Strabo enim XVII 3. 12 narrat: εἷλε δ'ἐξ ἐφόδου Καῖσαρ τὴν (Κέρκινναν) νῆσον καὶ Θέναν πολίχνην ἐπιθαλαττιδίαν. Illud ἐξ ἐφόδου ἑλεῖν cum saepius significat ex itinere potiri nemine repugnante (Arrian. Anab. I 18. 3; 20. 2) tum hoc loco ubi Caesar dicitur Cercinam et Thaenas ἐξ ἐφόδου cepisse. Cercina enim reapse Sallustius potitus est nemine resistente (b. A. 34. 2, 3). Deinde quod ad alterum argumentum pertinet, Wilmannsius praepropere ex Plinio collegit Thaenas provinciae fuisse urbem. Plinius enim id solum affirmat *veterem et novam* provinciam . . *discretas esse fossa . . Thaenas usque perducta* (N. H. V 3). Ex quibus verbis hoc tantum conicere licet Thaenas fuisse aut Romanorum aut Numidarum regum. At quae traduntur in b. A. 77 Thabenam sitam fuisse *in extrema Jubae regni regione marituma,* apte dicta videntur de Thaenis quae sitae erant et in maris litore et Plinio auctore in Jubae regni finibus. Praeterea si Thabena diversa fuisset a Thaenis, intelligi nequit cur auctor b. A. qui rebus singulis insistit, de Thaenis nihil tradiderit. cfr etiam Tissot, Rech. p. 47.

[2]) Angustiae inter mare et sebkha Sidi ben Nour (Tiss. Rech. p. 50 sq; Daux et Tissot. tab. 3).

23. Ovid. Fasti IV 378, 379. Fasti Praen. C. I. L. I. Pugnam apud Thapsum die 6 m. Febr. factam esse ex bello Africano quoque efficitur. Nam postquam Scipio die 5 et nocte quae hunc diem excepit, lacum circumivit *caelo albente* (c. 80. 3) = die 6, non longe a Caesaris castris consedit. Quod cum nuntiatum esset, Caesar *in eum locum citatim contendit* (c. 80. 4) statimque signa collata sunt.

24. Caesar *postero die* = 7 m. Febr. *divina re facta .... exercitum donavit ... ac statim* Thapso discessit (b. A. 86. 4. 5). Eiusdem mensis die 10 Caesar prima nocte Uticam pervenit (vide infra). Qua de causa cum Thapsus ab Utica absit 140 m. p.,[1]) Caesari cotidie iter faciendum erat 35 m. p.[2]) Cum igitur Hadrumetum 30 m. p. distet a Thapso,[3]) Caesar die 7 Febr. Hadrumetum pervenit. Quocum conveniunt quae narrat auctor in c. 89. 1, 2, 3: *Caesar a Thapso progressus Uzittam*[4]) pervenit ... *Id adveniens potitur*, deinde *Hadrumetum pervenit. Quo cum sine mora introisset ... Q. Ligario .. vitam concessit. Deinde eodem die Hadrumeto egressus* et q. s.

25. Equites medio fere die 9 Uticam advenerunt (Plut. Cat. min. 62). Ergo Paradam[5]) die 7 aut 8 ceperunt.

26. Cn. Domitius haud dubie die 7 m. Febr. Thisdram profectus est (b. A. 86. 5). Cum Thisdra a Thapso absit 30 m. p.,[6]) Domitius die 8 eodem pervenire potuit. *Cuius adventu perterritus ... Considius oppidum deserit* (b. A. 93. 1). Ergo

---

[1]) cfr Carte de la Tunisie. dépôt de la guerre.

[2]) cfr Napoléon, Guerre des Gaules II p. 273.

[3]) Daux et Tissot, tab. 1.

[4]) In codicibus hae sunt lectiones: *Uscetam Uzetam Ussetam Usetam.* Haec omnia corruptelas esse Uzittae vocis ex eo sequitur quod oppidum de quo agitur in c. 89. 1, situm erat inter Thapsum et Hadrumetum. Caesar enim Thapso Hadrumetum contendens *Usseta* ex itinere potitur (b. A. l. l.). Uzitta autem erat inter Thapsum et Hadrumetnm (cfr Tissot, Rech. p. 27 et Daux et Tissot, tab. 1). Praeterea *Ussetae Scipio magnum frumenti numerum armorum telorum ceterarumque rerum habebat* (b. A. l. l.) quae res optime ad Uzittam quadrat, nam hoc oppidum Scipio *tenebat,* verebatur *ne oppidum amitteret unde aquari reliquisque rebus sublevari eius exercitus consuerat* (b. A. 41. 2).

[5]) Non constat, ubi sita fuerit.

[6]) Daux et Tissot, tab. 1.

Thisdra cum non tradatur restitisse Domitio, statim die 8 aut 9 in deditionem venit.

27. Nuntium pugnae ad Thapsum factae Uticam pervenisse die 3 post pugnam i. e. die 8 m. Febr. vespere testes sunt Plutarchus (Cat. min. 58. 7). Καὶ περὶ ἑσπέραν βαθεῖαν ἧκέν τις ἀπὸ στρατόπεδον τριταῖος ἀγγέλλων, ὅτι μάχης μεγάλης πρὸς Θάψῳ γενομένης διέφθαρται πάντα . . . et Appianus (II 98) Ἐξαγγελθέντων δὲ τούτων ἐς Ἰτύκην τρίτῃ μάλιστα ἡμέρᾳ . . . Postridie (die 9 m. Febr.) Cato agit cum 300 negotiatoribus, Jubam et Scipionem monet ne Uticam veniant, equites Scipionis a Thapso fugientes obsecrat ut illo saltem die (die 9) Uticae permaneant ut fugam reddant senatoribus securam. Deinde Cato senatoribus sub vesperum navibus impositis cenat, discedit in cubiculum Platonis Phaedonem lecturus. Cum sub mediam noctem ad portum misisset qui sibi renuntiaret num solvissent omnes, sub lucem manus sibi affert, paulo post moritur (die 10 m. Febr.) cfr Plut. Cat. min. 59. 2; 63. 6; 65. 1; 67. 1; 70. 2, 4, 6.

28. Cum fama de morte Catonis Uticae cito percrebruisset (die 10 Febr. mane) civesque concurrissent ut mortuum deflerent, nuntiatur Caesar appropinquare (Plut. Cat. min. 71. 1). *Convocato populo* L. Caesar *cohortatur omnes, ut portae aperirentur. Itaque portis patefactis Utica egressus Caesari obviam proficiscitur. M. Messala . . . Uticam pervenit omnibus portis custodias ponit* (b. A. 88. 6, 7). Imperator L. Caesari aliisque obviam venientibus venia data [1]) *circiter luminibus accensis Uticam pervenit atque ea nocte extra oppidum mansit. Postero die mane in oppidum introiit* (b. A. 90. 1).

29. Juba die 9 m. Febr. in monte prope Uticam delituit. Cum Cato ne Uticam veniret ei dissuasisset (Plut. Cat. min. 62. 1), rex ut appropinquantem Caesarem effugeret, quam celerrime Zamam petiisse putandus est quamvis nocturnis tantum itineribus eo contenderet (b. A. 91. 1). Quam ob rem Juba Zamam pervenire potuit 4 itineribus.

30. *Diu* illud (b. A. 91. 4) nolim premas cum non probabile sit regem plures dies ante portas obversatum esse incolasque implorasse.

[1]) L. Caesar postea tamen interfectus est (Dio XLIII 12. 3. Suet. Caesar 75).

31. Tradit C. Vergilius oppidum postquam audivit Catonem mortuum (die 10), Jubam ab oppido suo exclusum (die c. 13), Saburram devictum a Sittio (ante medium m. Febr. cfr. b. A. 95. 1 et infra), Uticae Caesarem esse receptum (die 11) (b. A. 93. 3). Ergo medio mense Februario deditionem Thapsi factam esse opinor.

32. Jubam non statim postquam deseruit Zamam, mortem obiisse ex eo patet quod auctor inter eius discessus et mortis narrationem c. 92 et 93 interiecit. Videtur rex etiam ab aliis civitatibus ut exciperetur, petiisse; dicitur enim *ab omnibus civitatibus exclusus* (b. A. 94. 1). Eo autem tempore quo Caesar Zamam advenit, rex *desperata salute* (b. A. l. l.) putandus est mortem oppetiisse, cum duces quoque ab eo defecissent atque Caesarem appropinquantem adirent (b. A. 93. 3).

33. Equites illi die 9 m. Febr. Utica egressi cum per regnum contendissent, (Plat. Cat. min. 65. 3; b. A. 87. 5) in Mauritania in Sittium inciderunt qui pulso Saburrae exercitu, ad Caesarem iter faciebat (b. A. 95. 1). Ab oppido Utica usque ad Mauritaniae fines iter altero tanto longius est quam Thapso Uticam. Ergo medio fere mense eodem pervenire potuerunt. Sittius equites aggreditur postridie eius diei quo eos offenderat (b. A. 95, 2). *Paucis post diebus* . . . Faustus et Afranius interficiuntur (b. A. 95. 3).

34. Zamenses haud dubie statim post Jubae adventum legatos Caesari miserunt ne tempus daretur regi manus colligendae oppugnandaeque Zamae (b. A. 92. 1). Qua de causa cum Caesar Zamam perrexisset postridie eius diei quo legati Uticam advenerant (l. l. 92. 2), veri simile esse puto eum circa diem 20 m. Febr. Zamam pervenisse.

35. Eodem tempore existimo quo regnum provincia facta est.

36. Scipio paulo post diem 9 Febr. (Plut. Cat. min. 60. 3; 62. 1) ut advenienti Caesari decederet, regionem Uticensem videtur deseruisse. Deinde *diu multumque iactatus* Hipponem regium delatus est ubi P. Sittii classe circumventus interiit (b. A. 96. 1, 2) sine dubio exeunte eodem mense.

37. Cum Caesar die 14 m. April. ex Africa decesserit ea quae auctor c. 97—98 narrat, mense Martio et ineunte Aprili contigisse necesse est.

38. Caesar Cassio Dione auctore post hanc militum missionem τά τε ἄλλα τὰ ἐν τῇ Ἀφρικῇ διὰ βραχέος κατέστησε. Ergo mense Martio missionem factam esse iudico.

39. Auctore Plutarcho (Caes. 55. 1) Caesar cum Romam venisset, contionem habuit ad populum, ἔπειτα θριάμβους κατήγαγε. Apud Appianum (II 101) narratur Caesar triumphasse ἐπανελθὼν ἐς Ῥώμην. Cum praeterea secundum Suetonium (Caes. 37) Caesar *confectis bellis . . . quater eodem mense* triumphasset, triumphi illi mense Junio,[1]) non alio mense acti sunt atque primum Gallicus, deinde triumphus ex Aegypto, tum Ponticus, denique Africanus (cfr App. l. l.). Binis triumphis dies aliquot interpositos esse testes sunt Cassius Dio (XLIII 19. 1) . . . τὰ ἐπινίκια . . . τετραχῇ χωρὶς τέσσαρσιν ἡμέραις ἔπεμψεν et Suetonius l. l. *quater eodem mense sed interiectis diebus* triumphavit. Cuius dierum intercalationis causa apparatus erant singulorum triumphorum. Suetonius enim l. l. refert Caesarem triumphos egisse *diverso quoque apparatu et instrumento.* cfr etiam Vell. Pat. II. 56. Flor. II 13. 88. 89. Ergo Caesar ineunte mense ex Gallia triumphavit, ex Africa altera mensis parte, Alexandrinum et Ponticum triumphum egit inter ineuntem Junium eiusque mensis alteram partem.

40. Cassius Dio, qui in rebus narrandis temporum ordinem servare studet, refert: Οὕτω μὲν δὴ τὰ ἐπινίκια ἔπεμψε καὶ

---

[1]) Fischerus, R. Z. p. 289 monet Cassium Dionem et Suetonium hac de re dissentire. Dio enim (XLIII 22. 1) de ultimo triumphorum die locutus paulo post adicit Caesarem forum suum templumque Veneris genetricis εὐθὺς τότε dedicasse. Hanc autem dedicationem factam esse a. d. VII et VI Cal. Oct. = 24 et 25 Sept. = 23 et 24 Quint. testes sunt fasti Vallenses, Pinciani cfr C. I. L. I. p. 320. 298. Sic res se habent. Dione auctore Caesar ultimo triumphorum die post cenam forum suum adiit indeque facibus collucentibus domum deducitur coronatus floribus. Cuius pompae narratione missa pauca dicit Dio de foro Venerisque templo pergitque: ταύτην τε οὖν (ἀγορὰν) καὶ τὸν νεὼν τὸν τῆς Ἀφροδίτης . . . ποιήσας, καθιέρωσεν εὐθὺς τότε. Quod si verba illa εὐθὺς τότε premas, Caesar forum templumque dedicavit post cenam; quod ineptum est. Praeterea si ultimus triumphus actus est die 23 aut 24 Quiut., aut contra Suetonium triumphi conferendi sunt in mensem Junium et Quintilem, aut acti sunt mense Quintili triumphi omnes uno mense postquam Caesar Romam venit: utrumque est temerarium. Ergo Dionis εὐθὺς τότε illud non est accurate dictum sed significat „aliquanto post."

ἐπ' αὐτοῖς τόν τε δῆμον λαμπρῶς εἱστίασεν (XLIII 21. 3). Plinius (N. H. IX 81) commemorat C. Hirtium cenis triumphalibus Caesaris dictatoris sex milia numero murenarum mutuo appendisse. Ergo epulum paulo post ultimum triumphum factum esse iudico.

41. Caesaris dona apud Cassium Dionem narrantur post epulum. Appiano auctore (II 102) dona εὐθὺς ἐπὶ τῷ θριάμβῳ dantur. Idem tradit Plut. Caes. 55. 2.

42. Cn. Pompeius clade ad Ascurum accepta ad Baleares appulit. Has insulas ex itinere cepit, Ebesum magno labore. Morbo deinde correptus diu cum copiis in insula remansit. Nuntio autem in Hispaniam allato appropinquare Didium cum classe (ineunte fere Maio, vide Ephem. p. 13) ii qui rebellaverunt, cum nondum appulisset Pompeius, duces sibi praefecerunt Q. Scapulam et Q. Aponium atque Baeticam paene totam deficere coegerunt (Dio XLIII 29. 2, 3. ad Att. XII 2. 1). Πραξάντων δὲ ταῦτα αὐτῶν Πομπήιος ῥαΐσας ἐς τὴν ἤπειρον τὴν καταντιπέρας διέπλευσεν (Dio XLIII 30. 1). Ergo Cn. Pompeium exeunte fere Maio appulisse, Mense Junio vero urbibus illis potitum esse ac Carthaginem obsedisse iudico.

43. Scapula res in Hispania citeriore gestas cum comperisset, ex Baetica ad Pompeium proficiscitur (Dio XLIII 30. 2). Ergo existimandum est Scapulam exeunte fere Junio ad Pompeium venisse.

44. Qui ex Africa ad Pompeium se contulerunt, tum demum videntur petiisse Hispaniam cum Pompei adventum resque mense Junio prospere gestas compererunt. Quam ob rem Pompeianos mense Quintili ad Hispaniam appulisse puto. Quibus receptis Pompeius per provinciam citeriorem contendit civitatesque cepit ac quidem sine dubio mense Quintili et insequenti Sextili.

45. Cass. Dio XLIII 22. 23 munera in foro, ludos circenses, proelium navale commemorat. Hos ludos auctorem ex temporum ordine, quo editi sunt, enumerare sequitur ex verbis: καὶ τέλος ναυμαχίαν ... ἐποίησεν (c. 23. 4). Suetonius (c. 39) bis verba facit de ludis Caesaris. Primum singulos ludos enumerat tantum: *Edidit* (Caesar) *spectacula varii generis: munus gladiatorium, ludos . . ., item circenses, athletas, naumachiam.* Deinde de singulis ludis agit eodem ordine quo supra eodemque quo Dio, nisi quod mentionem facit lu-

dorum omnium atque scaenicos ludos et athletarum certamina interponit.[1]) Dedicatis foro temploque ludos statim factos esse testatur Cassius Dio (XLIII 22. 2, 3): Τὴν γὰρ ἀγορὰν . . . . καὶ τὸν νεὼν . . . καθιέρωσεν εὐθὺς τότε καὶ πολλούς γε ἐπ' αὐτοῖς . . . ἀγῶνας ἔθηκεν. Sed intra quot dies facti sint ludi, nihil traditur nisi venationes 5 dierum fuisse et athletas certasse per triduum (Suet. l. l.). Qua de causa si singuli ludi totidem fere dierum fuerunt, ultimi ludi altera parte mensis Sextilis editi sunt.

46. Ludis narratis Cassius Dio vitio dedisse dicit populum dictatori caedes (eorum nimirum qui in amphitheatro et in circo interfecti erant) atque sumptus. Deinde auctor postquam Caesarem amphitheatrum sericis velis texisse narravit, haec addit: ἐπ' οὖν τούτοις οἱ μὲν ἄλλοι ἀνάγκῃ τὴν ἡσυχίαν ἦγον οἱ δὲ δὴ στρατιῶται ἐθορύβησαν (XLIII 24. 1, 2, 3). Ergo hunc tumultum ludis fere confectis i. e. exeunte mense Sextili factum esse opinor.

47. Cassium Dionem falso agrorum assignationem in annum 47 contulisse (XLII 54. 1) iam demonstravit Drumannus (G. R III p. 616. Anm. 55). Et re vera Appianus Caesarem militum seditione anno 47 coorta ita contionantem facit: δώσω δέ καὶ γῆν ἅπασιν ἐκτελεσθέντων τῶν πολέμων (II 94). Antonius autem apud eundem auctorem post Caesaris necem in senatu milites commemorat iam συνῳκισμένους ὑπὸ Καίσαρος (II 133). Apertius dicit Cicero in epistula ad L. Papirium Paetum datum quo tempore assignationes factae sint, scribit enim: *Veientem quidem agrum et Capenatem metiuntur* (IX 17. 2). Nempe epistulam anno 46 scriptam esse patet ex verbis (l. l. 1) *de lucro prope iam quadriennium vivimus*. Quadriennium enim putat Cicero sine dubio tum coepisse cum Cn. Pompei comes anni 39 mense Januario Roma in Campaniam fugit (cfr Fischer R. Z. p. 271). Quod *prope iam* quadriennium de lucro se vivere dixit, epistulam exeunte anno 46 scripsit cum Caesar Romae erat, id quod tota epistula docet.

---

[1]) De ludis circensibus Suetonius certamina bigarum quadrigarumque, desultorum cursus, lusum Troiae, venationes, pugnas refert. Quos ludos sic quoque inter se excepisse puto. Cum enim Suetonius pugnas novissime esse factas commemoret, ceteros ludos etiam ex temporum serie videtur persecutus esse.

Suetonius narratis triumphis donisque Caesarem militibus agros assignasse refert id quod ex se veri simile esse puto.

48. Cassius Dio, Livius, Suetonius, Appianus spectaculis commemoratis recensum referunt, Plutarchus aperte dicit factum esse recensum μετὰ τὰς θεάς. Ergo conferendum esse eum opinor in ex. mensem Sextilem aut in in. Septembrem.[1])

49. Eo tempore quo Caesar in Hispaniam venit (ex m. Oct. vide infra) Cn. Pompeius *Uliam oppugnabat et fere iam aliquot mensibus ibi detinebatur* (b. H. 3. 1. Dio XLIII 31. 4). Qua de causa iudicandum est Cn. Pompeium in Baeticam iter fecisse exeunte fere mense Sextili.

50. Caesar simul ac ludos edidit leges tulit, ut commemorat Cass. Dio: Ταῦτά τε ἅμα ἐπράττετο καὶ ἐνομοθετεῖτο πολλά (XLIII 25. 1). Idem ostendit (XLIII 27. 1) Caesarem hoc tempore non suo consilio rem publicam temperasse sed semper re communicata cum senatus primoribus ac nonnunquam cum toto ordine. Sed mense fere Septembri (vide infra) multa facta sunt senatus consulta (ad fam. IX 15. 4). Qua re hoc tempore Caesarem leges tulisse verisimillimum est.

51. Cicero cui Paetus dissuaserat Roma Neapolim ut decederet, respondet: *Tamen quamdiu hic erit noster hic praefectus moribus, parebo auctoritati tuae, cum vero abierit, ad fungos me tuos conferam. Domum si habebo, in denos dies singulos sumptuariae legis dies conferam* (IX 15. 5). Haec verba docent: primum, agi de Caesaris lege sumptuaria, Cicero enim legem sumptuariam irridens affert postquam de praefecto moribus verba fecit, deinde Caesarem nondum in Hispaniam profectum esse sed Romae etiam tum mansisse, denique, Ciceronem epistulam scripsisse eo tempore quo iam Caesarem profecturum esse sperabat i. e. mense Septembri (vide infra) et quo multa senatus consulta fiebant (l. l. 4) quae apte editis demum ludis fieri potuerunt. — In epistula IX 26. 4 ad eundem Paetum missa Cicero rursus legem sumptuariam

---

[1]) Cassium Dionem, XLIII 25. 2 Plutarchum, Appianum falso narrare Caesarem census egisse iam probavit Drumannus (G. R. III p. 620). Cassius Dio iam XLIII 21. 4 recensum affert post dona a Caesare facta, attamen recensum hoc loco non narrat temporis rationem secutus sed rerum naturam, vult eni C esaris studium demonstrare, qui οὐ μέντοι καὶ ἁπλῶς ἐμεγαλοφρονεῖτο, ἀλλά τά τε ἄλλα διηκριβοῦτο.

cavillatur atque promittere videtur se proxime venturum: *Epulamur una non modo non contra legem si ulla nunc lex est sed etiam intra legem et quidem aliquanto. Quare nihil est quod adventum nostrum extimescas, non multi cibi hospitem accipies, multi ioci.* Epistula ergo scripta est post superiorem (cfr etiam Gruterus, de temp. ac serie ep. Cicer. p. 22) nec multo antequam Caesar in Hispaniam profectus est. Cum in binis litteris quae non multo inter se distant, ex cavillandi ratione sequatur legem sumptuariam tum fabulam fuisse tota iactatam in urbe, nova fuit lex quo tempore Cicero epistulas scripsit i. e. m. fere Septembri.

52. Quo anno Caesar has leges tulerit, non constat.

53. Cassius Dio XLIII 26. 1 legibus commemoratis tradit Caesarem fastos correxisse. Item Suetonius (Caes. 40) postquam ludos descripsit haec addit: *Conversus hinc ad ordinandum rei publicae statum, fastos correxit.* Ergo mense Septembri Caesarem hinc operi vacasse iudico.

54. Caesarem senatum supplevisse anno 47 patet ex Cassio Dione (XLII 51. 3), Idem factum esse anno 46 intellegitur ex his verbis ἐς τὴν βουλὴν αὖθις οὐκ ἀξίους τινὰς αὐτῆς ἐγκατέλεξε (Dio XLIII 27. 2) quae affert Dio post fastorum correctionem et ante Caesaris in Hisp. profectionem (ad fam. XV 2).

55. Cassius Dio antequam ad res Hispanienses transit, Romanos commemorat Caesari in crimen vertisse Cleopatrae amorem, neque eum quo reginam in Aegypto sed Romae prosequebatur (XLIII 27. 3).

56. Caesar quo tempore bellum Hispaniense inceperit et quo tempore decesserit Roma ut constituamus, primum quaerendum est quando desierit hoc bellum, deinde quot diebus dictator Roma Hispaniam pervenerit. Atque primum iam non exstat in belli Hispaniensis commentario (cfr c. 42) narratio rerum ab Ursonis oppugnatione gestarum; id unum scimus Q. Fabium paulo post medium mensem Aprilem (vide infra) Ursonem coepisse obsidere; hanc autem oppugnationem difficilem fuisse conicere licet ex oppidi maxime muniti et natura et opere (b. H. 41, 2; 42). Ex Cassio Dione quoque (XLIII 39. 4) novimus eo tempore quo narratio belli Hispaniensis desinit, bellum nondum confectum fuisse: Καὶ μετὰ τοῦτο (post Hispalim expugnatam) καὶ τὴν Μοῦνδαν καὶ τἄλλα τὰ μὲν ἀκούσια σὺν πολλῷ φόνῳ τὰ δὲ καὶ ἐθελούσια παρέλαβε.

Qua de causa veri simillimum est Caesarianos exeunte mense Aprili et mense Maio in oppugnatione Ursonis aliorumque oppidorum esse occupatos; mense autem Maio bellum confectum esse id docet quod devicto ac deleto hostium exercitu, interfectis aut fugatis ducibus Pompeianis, urbibus nobilissimis expugnatis, Baetica paene tota in Caesaris ditionem redacta, Urso ceteraeque civitates minores victori diutius resistere non potuerunt,[1]) praesertim cum dictator Gadibus Hispalim reversus (b. H. 42. 1 vide etiam p. 43) iam non alibi detineretur ac copias cum Q. Fabii exercitu coniungere posset.

Sed iam de Caesaris itinere dicendum est. Orosius (VI 16) refert Caesarem 17 diebus Roma Saguntum, Suetonius (Caes. 56) 24 diebus Roma in Hispaniam ulteriorem pervenisse. Strabone auctore (III 4. 9) Caesar 27 diebus Roma Obulconem[2]) contendit, Appianus (II 103) Caesarem dicit diebus 27 ab urbe venisse. Dictatorem celerrime advenisse tradunt etiam auctor b. H. (2. 1) et Cassius Dio (XLIII 32. 1). Porro Drumannus (G. R. III p. 633 A. 79) apud Orosium legendum proponit ‚27 dies', non recte; Caesar enim non eodem tempore Saguntum pervenire potuit quo Obulconem quae urbs a Sagunto abest 300 f. m. p. Sed qui traditus est ab Orosio numerus, nulla indiget emendatione, quod Caesar Roma Saguntum quae 1290 m. p. distant (Itin. Anton. p. 139, 189) contendere potuit 17 diebus. Ita enim singulis diebus iter 75 m. p. ei faciendum erat. Constat autem Caesarem eodem temporis spatio centena milia fecisse. (Suet. Caes. 57. Plut. Caes. 17. 4,[3]) Nec possunt dubitationem afferre qui a Suetonio et a Strabone referuntur numeri cum auctores illi de aliis agant spatiis atque Orosius. Mirum sane videtur quod Caesar Sagunto Obulconem lentius i. e. 10 diebus iter fecit, sed id qua re factum sit, ex his intellegere possumus.

---

[1]) Caesar quia non post exeuntem mensem Quintilem (Fischer R. Z. p. 302) Hispania decessit, duobus mensibus Junio et Quintili ut post bellum Africanum, rebus provinciae componendis vacasse putandus est.

[2]) hodie Porcuna (C. I. L. II p. 298) 37 m. p. a Corduba (O a. Corduba).

[3]) Συντόνως δὲ ἤλαυνεν οὕτως (Caesar) ὥστε τὴν πρώτην ἔξοδον ἀπὸ Ῥώμης ποιησάμενος ὀγδοαῖος ἐπὶ τὸν Ῥοδανὸν ἐλθεῖν (Plut. l. l.). A Roma Arelatum usque numerantur 796 m. p. (cfr Itin. Anton. p. 139).

Primum enim Caesar cum in Hispaniam venisset, legatis suis imperavit, ut equitatum sibi praesidio mitterent, quem cum necesse esset exspectare, iter tardavit quamquam sane Obulconem prius pervenit quam equites eum assecuti sunt (b. H. 2. 3, 4). Deinde dum Obulconem contendit, legati Cordubenses ei obviam venerunt, ut de oppido potiundo agerent (b. H. 2. 2). Denique Seneca (de benef. V 24) Caesarem ante pugnam ad Mundam factam talum circa Sucronem torsisse refert. Sed ante proelium Mundense Caesar tum solum prope Sucronem fuit, cum ex Italia Obulconem contendit.

His praemissis facile statui potest quo tempore Caesar bellum Hispaniense inceperit et quo tempore profectus sit Roma in Hispaniam. 1. Teste Nicolao Damasceno (Βίος Καίσαρος 10) homine Caesari aequali ideoque auctore minime neglegendo C. Octavius cum laborem et operam in l u d i s consumpsisset, in morbum incidit nec Caesarem in Hispaniam proficiscentem comitari potuit. Qua de re τοῦ σώματος ἐγκρατέστατα ἐπεμελήθη καὶ τ α χ ὺ ἀ ν ε ρ ρ ώ σ θ η · ἔπειτα δὲ τὴν ἔξοδον ἐκ τῆς πατρίδος ἐποιεῖτο ἐπὶ τὴν στρατιὰν ... καὶ ἀ π ί σ τ ῳ τ ά χ ε ι χρησάμενος διέδραμε τὴν μακρὰν ὁδὸν, συνεγγύς τε ἦν Κ α ί σ α ρ ι δ ι α π ε π ο λ ε μ η κ ό τ ι ἤ δ η τ ὸ ν σ ύ μ π α ν τ α πόλεμον ἐ ν μ η σ ὶ ν ἑ π τ ά. Caesar ergo mense Novembri bellum Hispaniense incepit. 2. Cum Caesar 27 diebus Roma Obulconem pervenerit, necesse est eum iter fecisse per mensem Octobrem atque Roma decessisse paulo postquam Cicero ut pro Ligario deprecaretur, a. d. V Cal. Int. Priores (26 Nov. = 23 Sept.) dictatorem adierat (ad fam. VI 14)[1]. De tempore quo scriptae sint Ciceronis epistulae ad fam. XIII 26 et ad Att. XII 7. 8 nihil certi eruere potui.

57. Caesarem p r i m o Cordubam contendisse quamvis auctor b. H. non expressis verbis narret tamen indicat referens legatos Cordubenses Caesari in itinere obviam venisse eique ostendisse Cordubam nocturno tempore capi posse (b. H. 2. 2). Id plane affirmatur verbis Cassii Dionis (XLIII 32. 3) e quibus id quoque sequitur Caesarem p a u l o p o s t q u a m Obulconem venit, Cordubam perrexisse.

---

[1]) Quia Cicero orationem pro Ligario apud dictatorem ipsum habuit (cfr orat. et Plut. Cic. 39. 56), extremo Septembri vel ineunte Octobri habita est.

58. Caesar cum Cordubae appropinquaret, Cn. Pompeium ab oppugnatione Uliae[1]) destituturum esse sperabat καὶ ἔσχεν οὕτω . . . . ἔς τε τὴν Κορδούβαν ἦλθεν (Cn. Pompeius) Dio l. l.

59. Caesar Uliae urbi praesidium misit aliquanto postquam Cn. Pompeius Cordubam cepit. Cassius Dio enim l. l. refert Cn. Pompeium Cordubam primum contendisse, ἔπειτα δὲ ὡς οὔτε τι πρὸς τῇ Οὐλίᾳ ἐπέραινεν . . . ὁ Καῖσαρ πλησιάσας σφίσιν, ἐκείνοις τε βοήθειαν νυκτὸς λαθὼν ἐσέπεμψεν.

60. Paulo postquam Uliae praesidium misit (Dio XLIII 32. b. H. 4. 1).

61. Statim postquam Caesar Cordubam obsidere coepit. Cum enim equites Caesariani Cordubae appropinquantes oppidanis cladem attulissent, Sext. Pompeius fratrem arcessivit, qui *litteris fratris excitus Cordubam contendit* (b. H. 4. 5. Dio l. l.).

62. Προπυθόμενος γὰρ τοῦτο (Cn. Pompeium appropinquare ὁ Καῖσαρ ἀπεχώρησε (Dio l. l.). Quae singula a Caesare et a Pompeio ad Cordubam et Uliam gesta sunt, quamvis quibus diebus contigerint, statuere non possimus, tamen ex iis quae probavimus (cfr adn. 57—62), efficitur haec omnia procedente mense Novembri gesta esse atque Caesarem Corduba discessisse exeunte fere eodem mense.

63. Caesarianos mense Decembri et Januario inopia rerum laborasse efficitur ex iis quae disputabimus infra (65, 64). Omittit auctor b. H. quae his mensibus contigerunt, nec mirum. Ab initio enim belli ad Ateguae oppugnationem usque non affuit. Praeterea Caesarianae partis studiosissimus est, res solas affert quae imperatorem laude afficiant.[2]) Itaque dissimulat Caesarem frustra Corduba potiri conatum esse, decessisse Pompeio appropinquanti, morbo afflictum esse, copias frigore et rei frumentariae angustiis esse pressas. Nihil fere usque ad Ateguae oppugnationem refert, quoniam toto hoc tempore Caesar nihil gessit memoriae dignum.

64. Caesar nonnullis diebus antequam Pompeius Ateguam contendit (vide adn. 65) eodem profectus est. Cum enim

[1]) hodie Montemajor C. I. L. II p. 206.

[2]) cfr J. Degenhart, de auctoris belli Hispaniensis elocutione et fide historica. Wirceb. 77 p. 44 sq.

Caesar operibus factis Ateguam in obsidione teneret, Pompeius oppidi natura et opere confidens Caesaremque sperans ob hiemem non obsessurum esse urbem primo Ateguae auxilio non venit, postea autem ὡς τό τε πόλισμα ἀπετετείχιστο καὶ ὁ Καῖσαρ αὐτῷ προσεκάθητο, δείσας ἐπεβοήθησε (Dio XLIII 33. 4). Ergo Caesarem exeunte mense Januario Ateguam profectum esse iudico. Cassius Dio (XLIII 28) refert Caesarem ter copias contra Pompeianos in Hispaniam misisse. Primum quidem: classem ex Sicilia Didio duce (17—28 April.) cfr etiam b. A. 98. 1, 2; deinde: ὕστερον δὲ καὶ τὰ στρατεύματα τὰ ἐκ καταλόγου. Hunc exercitum tum sine dubio misit cum Cn. Pompeium in Hispania citeriore mense Junio multum profecisse compererat (vide p. 31, 44). Ergo mense fere Quintili copias illas in Hispaniam profectas esse existimo. Cum iter Roma Cordubam per Tusciam Galliam Hispaniam citeriorem sit fere 1600 m. p. (vide supra), per viam autem tam longam itinera vix plus 25 m. p. singulis diebus facta sint atque tertio quoque die militibus quiescendum fuerit, putandus est exercitus fere tribus mensibus iter confecisse ideoque mense Octobri in Hispaniam advenisse. Denique: ἐπεὶ δὲ ᾔσθετο (Caesar) ἐκεῖνόν τε ἐπὶ μέγα προχωροῦντα καὶ τοὺς πεμφθέντας οὐχ ἱκανοὺς ἀντιπολεμεῖν αὐτῷ ὄντας, οὕτω δὴ καὶ αὐτὸς ἐξεστράτευσεν. Hunc exercitum Caesar in Hispaniam contendens in itinere reliquit (Dio XLIII 32. 2) eumque non multo antequam ex mense Januario Ateguam profectus est, accepit. (Dio l. l. 7).

65. Caesarem die 19 m. Februarii Ateguam cepisse testis est auctor b. H. (19 6). Ab hoc die profectus, res quas singulas auctor consectatur atque colligit 6. 4—19. 6, in dies quibus gestae sunt contuli.

| Febr. | |
|---|---|
| 6 | Pompeius Ateguam venit (b. H. 6. 4, 5). Proxima nocte |
| 7 | Salsum transit atque die scilicet qui noctem transitus excepit, castra ponit inter Ateguam et Ucubim (7. 1). A cap. 7. 2—9. 1 auctor generatim agit de regione illa montuosa, de oppidorum situ munitioneque, de Pompei copiis rationeque pugnandi. |
| 8 | 9. 1—10. 1. |
| 9 | 10. 1—11. 1. |

| Febr. | |
|---|---|
| 10 | 11. 1—11. 2 (noctis tertia vigilia) |
| 11 | 11. 2—12. 5 hoc praeterito tempore (noctis) = mane. |
| 12 | 12. 5—13. 1. |
| 13 | 13. 1—13. 4 (postero die) |
| 14 | 13. 4—14. 2. |
| 15 | 14. 2—16. 2 (tertia vigilia) |
| 16 | 16. 2—17. 1. |
| 17 | 17. 1—19. 3. |
| 18 | 19. 3 (insequenti luce) —19. 5. |
| 19 | 19. 6 = a. d. XI Cal. Mart. |

66. Pompeius movet nuntio accepto de oppidi deditione (b. H. 20. 1). Putandus est in propinquo fuisse atque die ipso deditionis Ateguae Ucubim contendisse cum nusquam legamus eum post diem 16 Februarii (b. H. 16. 2) longius discessisse.

67. Pompeius cum Ucubim pervenisset, oppidanos convocavit. Quam rem Caesar eo tempore quo Pompeium insecutus est, cognovit mane (b. H. 20. 1, 2). Sed post diem 19 tantum Pompeium mane subsequi potuit. Ultra autem diem 20 progredi licere non puto cum hoc tempore auctor res singulis diebus gestas narret. Caesar dextra Salsi ripa constitit (b. H. 23. 1).

68. In b. H. 22. 1 codices exhibent 'Bursavonenses'. Pro hac voce Nipperdeius Ciacconium et Glandorpium secutus recte 'Ursavonenses' posuit (cfr Nipp. p. 239). Hanc autem evidentissimam coniecturam Hurtadi non probaverunt quod Urso [1]) remotior esset ab Ategua, quam ut omnia illa quae c. 22 b. H. narrantur, fieri potuissent (cfr Munda Pomp. p. 67 sq.) usque ad id tempus quo Caesar brachium ad Salsum duceret (b. H. 23. 1). Qua de causa sententia Fernandez-Guerra eo adducti sunt ut propter litterarum consonantiam Bursavolam (sic antea legebatur) eandem esse dicerent quam Bujalance urbem [2]).

At primum iter Osuna ad oppidum Fernan-Nuñez (huic urbi propinqua est Teba la Vieja) est 68 m. p.[3]). Deinde commemorat auctor (b. H. 22): a. capta Ategua legatos Ursonem

[1]) hodie Osuna (Eph. epigr. II p. 119. C. I. L. II p. 191).

[2]) Bujalance abest 27 m. p. a Corduba (O a Cord.).

[3]) Vel 102 Km. cfr. guia oficial de los ferro-carriles de España. Recta tamen via 70 Km. numerantur.

missos esse qui oppidi deditionem civibus referrent. b. speculatores Ursone Ateguam profectos esse atque rediisse. c. hoc nuntio allato auctorem necis legatorum oppido discessisse atque praesidio comparato nocturno tempore Ursonem per fallaciam ingressum principibus vim attulisse, bona vendidisse. d. haec Caesari nuntiata esse.

Quae omnia inde a die 19 m. Februarii (b. H. 22. 1) usque ad diem 4 m. Martii (b. H. 23. 1. Vide et. ad. 70) i. e. intra 13 dies [1]) gesta sunt. Legati enim illi a Caesare Ursonem missi itemque speculatores quia certe summa diligentia iter fecerunt, facile binis diebus Ategua Ursonem et Ursone Ateguam potuerunt pervenire, praesertim id quod veri simillimum est, si equo vehebantur. Quae cum ita sint, iam 7 supersunt dies intra quos auctor ille necis legatorum Ursone potitus Caesarique allatus est nuntius.

69. Quae contigerunt die 20 m. Febr. quo Caesar movit, auctor narrat c. 20. 2—21. 1, quae gesta sunt die 21 c. 21. 1, 2. Insequenti die Pompeius Ucubenses interficit.

70. Quae narrantur in c. 23 b. H., facta sunt pridie quam ad Soricam pugnatum est. Cfr c. 24. 1.

71. Ciacconius et Petavius, quos secutus est Nipperdeius, iure coniecerunt lectiones illas *Suricam Siriciam Siritiam* (b. H. 27. 2) esse corruptas nec differre a Sorica seu Soricaria quae legitur in c. 24. 1. Ibi enim agitur de clade Pompeiana paulo ante accepta eaque graviore (b. H. 27. 2; 26. 3). Haec referri non possunt nisi ad pugnam ad Soricam factam. In sinistra Salsi ripa Sorica sita erat ac quidem p r o p e a d U c u b i m. Die enim 4 m. Martii Caesar ut Salsum traiceret, brachium ad flumen duxit (b. H. 23 1). Qua re cum Caesarianos arcere conarentur hostes, ad castra repulsi sunt (l. l. 23. 7). Hoc tamen die aut postero Caesar trans Salsum copias transmisit, die enim 5 m. Mart. Pompeius aminadvertit a Caesarianis se excludi a castello Aspavia quod sinistra haud dubie fluminis ripa situm 5 m. p. tantum ab Ucubi distabat (l. l. 24. 2). Q u o d u t p r o h i b e r e t, Pompeius ad Soricam decertare coactus est. Coniecturarum plurimarum Hurtadi eam probabiliorem esse putant qua Sorica eadem

[1]) Si mensis Februarius huius anni 28 dierum est. cfr. Boeckh 4jährige Sonnenkreise p. 361. Soltau, die ersten iul. Schaltjahre, Wochenschr. f. class. Phil. Berlin 1888.

sit ac quem vocant hodie villar de dos Hermanas (SW ab Espejo).

72. Quae afferuntur c. 25 et 26, gesta sunt postridie (cfr 25. 1).

73. In c. 27. 3 b. H. legitur: *Eo die Pompeius castra movit et contra Hispalim in oliveto constituit.* Quod Drumannus R. G. III p. 635 sic vertit: *Caesar zog über Hispalis (Sevilla) nach Munda.* Sed Hispalim corruptelam esse ex eo sequitur quod Pompeius dicitur eo die et castra movisse et contra Hispalim in oliveto constituisse. Hispalis enim via recta abest 100 m. p. Deinde intellegi nequit cur Pompeius tanto circuitu copias Carrucam (b. H. 27. 5. Vide infra) duxerit cum ex proelio Soricano in animo haberet exercitum ad mare versus ducere.

Hurtadi Fernandez Guerra secuti opinantur Hispalim aetate media qua Hispalis sine h littera scripta sit, facile permutari potuisse cum Ipagro.[1] De die vide adn. 74.

74. *Caesar priusquam eodem est profectus, luna hora circiter sexta visa est* (b. H. 27. 3). Hunc locum Scaliger (de emend. temp. Colon. 1629 p. 439) et Petavius (de doctrina temp. 10. 62) interpretati sunt. Scaligerum qui bellum Hispaniense male anno confusionis ultimo gestum atque lunam III Cal. Mart. hora VI conspectam esse dixit, Petavius facile refutavit ostendens auctorem ipsum b. H. testari illud post III Nonas Mart. accidisse. Petavius ipse lunam die 21 aut 22 m. Mart. hora VI computavit visam esse. Sed ut luna tunc videri potuerit, tamen auctor noster hanc lunam visam esse non refert quando quidem milites lunam conspexerunt ante pugnam Mundensen quae facta est die 17 m. Martii. Qua de causa lunam a militibus non visam esse nocte sed die iudicare debemus quod auctor b. H. quoque significare videtur, tamquam insolitum quid illud commemorans. Ergo cum anno 45 ea nocte quae est inter Pridie Cal. Mart. et Calendas ipsas, luna prima fuerit, quinque fere diebus post interdiu videri potuit [2]).

---

[1]) hodie Aguilar de la Frontera. C. I. L. II p. 205.

[2]) Hoc mecum communicavit Nissenus. Hurtadi (Munda Pomp. p. 110) monent lunam die 8 m. Mart. circa horam sextam supra finientem stetisse ideoque potuisse videri.

75. Caesar Ventiponem [1]) venit insequenti tempore (b. H. 27. 5).

76. Medio mense Caesarem et Pompeium Carrucam [2]) pervenisse necesse est statuamus cum hinc recta via Mundam profecti sint die 16 m. Mart. (b. H. 27. 6; 28. 1).

77. b. H. 28. 1.

78. Ad Mundam decertatum est ipsis Liberalibus (b. H. 31. 8. Plut. Caes. 56. 3) quae agebantur *tertia post Idus* Martias. Ovid. Fast. III 713, seu XVI Cal. April. (Kal. Farnes.) [3]) Errore ipso computandi Plutarchus l. l. et Orosius III 16 idem confirmant. Referunt enim Cn. Pompeium esse eodem die devictum quo pater eius ante 4 annos (Brundisio solvens) Caesarem fugeret. Ac profecto Pompeius Magnus anno 49 novem diebus postquam Caesar Brundisium venerat (VII Idus Mart.), Graeciam petit i. e. die 17. m. Mart. (cfr ad Att. IX 3. Caes. ap. Cicer. ad Att. IX 13. Caes. Bell. Civile I. 27. 28). Sed per errorem lapsi sunt putantes diem fugae Pompei Magni fuisse revera diem 17 m. Mart. bellumque civile per 4 dumtaxat annos gestum esse; obliti enim sunt Caesarem annum 46 diebus 67 produxisse. (cfr etiam Drum. G. R. III p. 636.)

De Mundae situ cum apud antiquos scriptores nihil certi exstet (cfr Strab. III 2. 2; 4. 9. Plin. N. H. XXXVI 29.), alii aliter senserunt. Ex hac silva coniecturarum eas probabiliores esse iudico quas Hurtadi et Huebnerus proposuerunt hasque quantum fieri potest, confirmabo.

Atque Hurtadi campum Mundensem eum esse putaverunt qui situs est prope Ronda la vieja [4]) pagum. Hoc enim

---

[1]) hodie Vado Garcia prope Casaliche (Munda Pomp. p. 82. C. I. L. II p. 200). Vado Garcia abest ab Aguilar (vide adn. 81) 13 m. p. cfr. C. I. L. II tab. II. Non longe ab eo loco quo confluunt Genil et Anzul, ad meridiem versus adhuc remanent reliquiae pontis Romani quondam in Genil facti neque ab 25 m. p. alia exstant pontis vestigia. Qua de causa quoniam Genil flumen difficillimum sit transitu, veri simile est hoc ponte Pompeium et Caesarem copias transmisisse, cum Ventiponem contenderent. (Munda Pomp. l. l.)

[2]) Hurtadi putant Carrucam eandem esse ac Corrales oppidum, quod 18 m. p. abest a Casaliche. (SW a Casaliche).

[3]) C. I. L. I. p. 330.

[4]) abest 6 m. p. a Torre Alhaquime (S ab hoc oppido) cfr. Munda Pomp. Tab. p. 288.

loco ager nomen habet *Munda* ibique celebres adhuc supersunt reliquiae quas quo tempore Hispania recuperata est, *Monda la vieja* seu *la gran Monda* appellabant (Munda Pomp. p. 99).

Huebnerus conicit pugnam Mundensem commissam esse ad Torre Alhaquime[1]) oppidum prope quod hodie campus vocatur *hazas de Munda* (Jahn's Jahrb. 1862. p. 34 sq. et Annali dell' Inst. di corrisp. archeol. 1862 p. 100). Et reapse Mundam a Sorica seu ab Ategua ad meridiem versus sitam fuisse haec docent. Primum Pompeius cum prope Ateguam repulsus esset (b. H. 14—15. 5) itemque Ateguani magna clade accepta fugissent in urbem (l. l. 16. 1—5) iam desperans de oppido servando ceterasque providens civitates a se defecturas esse[2]) militibus convocatis *ad mare versum* exercitum se deducturum esse indicat (b. H. 18. 5). Quid Pompeius obscuris illis verbis *ad mare versum* senserit, facile intellegimus si id tenemus quod classis eius Carteiae[3]) constituta erat. Huic quam proxime adesse cum res in discrimen vocaretur, Pompei certe maxime intererat. Verbis igitur illis Pompeius copias Carteiam versus se deducere velle significat. Cui rei id quoque argumento est quod Varus dux classis Carteiensis non multo postquam Pompeius milites de consilio suo certiores fecerat, in castris Pompeianis apparuit (b. H. 27. 2).

Deinde Pompeius a Sorica contendit Ventiponem[4]), quam urbem hodie Casaliche esse constat. Ventipo autem a Sorica ad meridiem sita erat. Denique Pompeius clade apud Mundam accepta atque *minus belle habens* (b. H. 32. 6) Carteiam fugit certe tum quia classis ibi manebat, cum quod proxima erat Carteia; quod si probes, Munda ad meridiem versus sita fuit a Sorica atque inter hoc oppidum et Carteiam.

---

1) abest 14 m. p. ab urbe Ronda (NNW a Ronda):

2) Ἐκείνης δὲ τῆς πόλεως (Ategua) ἁλούσης, οὐκέτ' οὐδὲν οἱ ἄλλοι ἠτρέμιζον· ἀλλ' οἱ πολλοὶ μὲν αὐτοὶ πρὸς τὸν Καίσαρα μεθίσταντο πρεσβευσάμενοι, πολλοὶ δὲ καὶ ἐπίοντα αὐτὸν τοὺς δὲ ὑποστρατήγους αὐτοῦ ἐδέχοντο (Dio XLIII 35).

3) et Rocadillo prope Algeciras. C. I. L. II 242.

4) Quamquam auctor b. H. aperte non retulit Pompeium Ventiponem contendisse (c. 27. 5) tamen credere cogimur hac via eum progressum esse, cum Caesar Ventiponem venerit. Caesar autem toto itinere ab Ategua Mundam usque Pompeium secutus est. Secutus est eum Ucubim Ipagrum Soricam Carrucam Mundam.

Qua re absoluta restat ut constituamus, quantum fere Munda a Ventipone abfuerit. Auctor b. H. commemorat Caesarem *Ventipone Carrucam iter fecisse et contra Pompeium castra posuisse*, praeterea *hinc itinere facto in campum Mundensem castra contra Pompeium constituisse* (c. 27. 6). Sed auctor refert Ventipone Carrucam non plura itinera sed unum factum esse, etiam Carruca Mundam unum tantum castraque bis constituta esse. Quod si Caesar et pluribus diebus Carrucam et pluribus diebus Mundam contendisset, id auctor qui res cotidie gestas fusius descripsit, sine dubio commemorasset. Quam ob rem a Ventipone Carrucam unius diei viam bidui Mundam afuisse censemus. Ergo iure Hurtadi et Huebnerus Mundam sitam fuisse coniecerunt biduo a Ventipone ad meridiem versus ea in regione ubi hodie quoque agros *Munda* vocant.[1])

79. Caesar *ex proelio* Cordubam contendit (b. H. 33. 1). Quibus verbis non dies ipse proelii intellegendus est; pugna enim facta oppidum vallo cadaverum circumdat, μὴ καὶ νυκτὸς ἀποδράσωσί τινες (Dio XLIII 38). Postero autem die pro cadaverum vallo alium instruit aggerem qua *munitione facta* statim Munda decedit.

80. Valerius cum equitibus Cordubam fugit (b. H. 32. 3) die 17 postmeridiem. Nam ex quo Pompeiani e proelio fugere coeperunt, usque ad noctem aliquot horae praeterierunt. Caesariani enim tum demum castris potiti sunt cum Pompeiani iam diutius se defenderant: Οὗτοί τε τοὺς προσμίξαντας σφίσιν ἰσχυρῶς ἀπεμαχέσαντο καὶ οὐ πρότερόν γε ἔπεσον πρὶν ἀμφίβολοι γενέσθαι (Dio XLIII 38). Quibus devictis Mundam vallo interfectorum circumdant (b. H. 32. 2). Sed Munda abest a Ventipone biduo (vide supra), Ventipo a Corduba 60 m. p.[2]) Ergo Valerius ipso pugnae die Cordubam pervenire nequivit sed postero die cum equo veheretur, ante vigiliam secundam (b. H. 32. 3, 4)[3]). A quo cladis nuntio comperto Sextus Pompeius secunda vigilia discessit (b. H. 32. 4).

---

[1]) Baronis de Stoffel librum, Histoire de Jules César, Guerre civile, Paris 1887, mihi parare non potui.

[2]) 89 Km. cfr Guia official.

[3]) Vide adn. 27. Ibi nuntius de clade Thapsitana Uticam affertur die tertio. Utica distat a Thapso 140 m. p. cfr Carte de la Tunisie.

81. Ut Valerius ita Scapula e x p r o e l i o Cordubam fugit (b. H. 33. 3). Is ergo eo pervenisse iudicandus est eodem fere tempore sed post Valerium qui primus cladis nuntium attulit. Scapula autem antequam moritur, familiam libertosque convocat, rogum exstruit, cenam optimam parari iubet, familiae pecuniam donat, cenat (b. H. 33. 3—34) quae omnia non die 18 p o s t adventum Scapulae sed postridie tantum fieri potuerunt. Ergo die 19 vespere manus sibi attulit.

82. Caesar die 19 Cordubam non pervenit. Primum enim iter Munda Cordubam 2 diebus cum copiis emetiri non potuit. Deinde inter Scapulae adventum et Caesaris tempus intererat. Nam cum commode Scapula copiosissimeque mortis apparatus instrueret, necesse est, concludamus Cordubenses quietos fuisse; Caesare autem adveniente discordaverunt (b. H. 34. 1). Denique Scapula cenatus obiit, Caesar autem si cenae tempore advenisset, illo die certo tempus ei defuisset Baetim traiciendi ponendique castra. Quibus de causis Caesarem die 20 ad Cordubam accessisse puto.

83. Inde a die 20 m. Mart. usque ad diem 12 m. Apr. (b. H. 39. 3) seu diebus 23 Caesar Corduba et Hispali potitur, Hastenses in deditionem accipit, Gades pervenit. Ut haec singula quo tempore facta sint, statuamus, computare oportet quot dies Caesar consumpserit et in itinere faciendo et in expugnanda Corduba et Hispali. Itinerarium Antoninum (p. 195. 196) nos docet Cordubam abesse ab Hispali 94 m. p., Hispalim ab Hasta 60 m. p., Hastam a Gadibus 42 m. p.[1]) Caesar ergo diebus tribus Corduba Hispalim, duobus Hispali Hastam, duobus Hasta Gades pervenire potuit. Qua de causa 7 diebus e 23 illis itinere confectis 16 restant dies intra quos Cordubae Hispalisque obsessio facta est atque Hastenses in deditionem venerunt. Quod ad Cordubam attinet, Cassius Dio (XLIII 39. 1) Caesarem narrat Cordubam εὐθὺς cepisse post proelium Mundense. Auctor quoque b. H. videtur referre Caesarem brevi tempore Corduba potitum esse.

[1]) Haec itinera non multum discrepant a spatiis viae ferratae (Guia oficial).

| | | | |
|---|---|---|---|
| Córdoba-Sevilla | numerantur | 131 km | |
| Sevilla-Jerez | „ | 110 km | (prope Jerez sita est Mesa de Asta (Monatsb. d. Berl. Ak. 1860 p. 640). |
| Jerez-Cádiz | „ | 49 km | |

Nam Caesaris castris ante Cordubam positis Pompeiani oppidum defendere incipiunt, oppidani contra Caesaris opem implorant. Hac de re certiores facti Pompeiani urbem incendere conantur sed a Caesare superantur Cordubaque capitur (b. H. 34. 1—5). At multo longior fuit Hispalis expugnatio. Post Caesaris enim adventum Philo Lennium [1]) proficiscitur et inde manum Lusitanorum adducit. Ergo 8 saltem dies praeterierunt priusquam Hispalim revertit. Denique 8 dies qui restant, fere omnes in expugnanda Hispali consumpti iudicandi sunt post Philonis reditum. Ex hoc enim tempore Lusitani pugnare non desistebant (b. H. 36. 1. cfr etiam Dio XLII 39). Id etiam ex eo efficitur quod Caesar Hastae non fuit amplius die uno aut duobus, cum ipso eius adventu oppidi deditio facta sit. Ergo Hispalim opinor circa Nonas Apriles expugnatam esse, Hastam autem 3 fere diebus post in Caesaris potestatem se permisisse.

84. De ultimis Cn. Pompei fortunae vicissitudinibus haec dicenda sunt. Carteiae orta dissensione ac caede Pompeius cum 20 navibus fugit. Qua re comperta Didius Gadibus solvit atque Pompeium cum classe insequitur, terra quoque milites Caesariani persecuntur hostem fugientem. Quarto navigationis die [2]) Didius navibus quas Pompeius aquandi

[1]) De Lennio illud tantum scimus id oppidum fuisse Lusitaniae (b. H. 35. 3). Quam ob rem Lennium non minus 80 m. p. ab Hispali afuit, cum Arucci Baeticae (hodie Aroche) et Anas inferior quae sunt in finibus Lusitaniae qua ad Baeticam vergit, tot milibus passuum distent ab Hispali.

[2]) Quae in codicibus sic scripta sunt: ‚Didius qui Gadis classi praefuisset ad quem simul nuntius allatus est confestim sequi coepit partim pedibus et equitatus ad persequendum celeriter iter faciebant. item quarto die navigatione confestim consequentes quod imparati a Carteia profecti sine aqua fuissent ad terram applicant' Nipperdeius sic emendavit . . . partim pedibus [et equitatus] ad persequendum celeriter iter faciebant, item confestim consequentes. Quarto die navigationis, quod imparati Carteia profecti sine aqua fuissent ad terram applicant (Nipp. Com. p. 246 sq). E codicibus Didius comperto nuntio de Pompei fuga hunc classe persequitur atque quarto die navigationis ex quo Gadibus solverat, naves Pompeianas imparatas offendit. Nipperdeius verbis ‚quarto die navigationis' transpositis hanc efficit sententiam: Quarto die postquam Pompeius Carteia solverat, Didius navibus eius

gratia appulerat, supervenit atque alias incendit, alias capit. Pompeius fugit ac saucius cum esset, in turrem quandam lectica affertur. Hac de re equites peditesque a speculatoribus certiores facti insecuntur eum, *diem et noctem* iter faciunt, ad turrem perveniunt, ubi telis excipiuntur, *nonnunquam* depelluntur. Turrem opere circummunire cum instituissent, Pompeius aufugit atque a Caesonio Lentone (Orosius VI 16) apud oppidum Lauronem (Florus II 13. 86) in spelunca in quam se abdiderat, interfectus est (b. H. 37. 38. 39).

Cum Lauro Tarraconensis [1]) ab Hispali circirter 400 m. p. distet, nuntii veloces 5—6 diebus Laurone Hispalim pervenire atque Pompei caput ostendere potuerunt. Qua de causa Pompeium circa Nonas Apriles interfectum esse puto.

Carteienses denique quo tempore dissenserint, iam eruamus Nuntius de fugae Pompeianae die secundo post dissensionem Gades pervenire potuit. Quo relato Didius confestim insecutus quarto die consequitur (b. A. 37. 2, 3), Pompeius brevi post interficitur (vide supra). Ergo Carteiae dissensionem ortam esse atque Pompeium fugisse extremo mense Martio iudico.

85. Post Pompei mortem Didius ut naves reficeret, in proximum se recepit castellum ad quod qui ex pugna supere-

---

supervenit; quae sententia hanc ob causam reicienda est quod Pompeius longius spatium praecepisset fuga, quam ut Didius eum quarto iam die ex quo Pompeius solverat, consequi posset. Didius enim Gadibus profectus est nuntius accepto de fuga Pompei. Carteia autem abest a Gadibus 66 m. p. cfr. Itin. Ant. p. 194 atque Guia oficial.

[1]) Unam civitatem novimus Lauronem nomine ubi Pompeius Magnus a. 76. a Sertorio victus est (Flor. II 10. App. I 109 Plut. Sertor. 182; Pomp. 18. 3. Oros. V 23), sitam ad Sucronem (Júcar) a Valentia ad meridiem versus. (Mommsen R. G. III p. 30). Hurtadi tamen apud hanc Lauronem Cn. Pompeium interfectum esse negant *quod Didius intra 4 dies Gadibus Valentiam pervenire non potuerit* (cfr. Munda Pomp. p. 139). Coniciunt Lauronem de qua agitur eam esse quam vocant hodie Alhaurin (24 km SO a Malaga) atque nomini praefixum esse *al* articulum arabicum. Sed Gadibus Valentiam si litora legis, numerantur 560 m. p. Ergo singulis diebus Didio iter faciendum erat 140 m. p. Haec autem fieri posse luculentissime demonstraverunt Friedlaender, Sitteng. et Movers Phoeniz. III 1.

erant, Lusitani se converterunt. Didius propter *crebras* eorum excursiones *eliciebatur; cotidie* pugnabatur. Denique hostes insidiis paratis Didium a tergo adorti interficiunt (b. H. 40, 1—8). Sequitur hac ex narratione Lusitanos intra plures dies incursiones contra Didium fecisse; qua de causa ducem periisse puto eodem fere tempore quo caput Pompei Hispalim allatum est.

86. Caesarem Hispalim revertisse iudico non multo postquam Pompei caput ostensum est. His enim atque Didii morte narratis, nullis aliis rebus interpositis, auctor Caesarem *Gadibus Hispalim recurrisse* commemorat (b. H. 40. 8). Gadibus Hispalim 4 diebus pervenire potuit (vide supra). Ergo brevi post medium mensem Hispali fuit.

87. Cum Caesar Hispalim reversus insequenti die contionem habuit, Munda paulo ante capta erat atque Urso oppugnabatur. Quae ex b. H. 41. 5 et 42. 1 efficiuntur ubi auctor refert: *Ita necessario diducebantur nostri ut a Munda quam proxime ceperant, materiem illo deportarent. Dum haec ad Mundam geruntur et Ursaonem, Caesar ad Hispalim cum Gadibus se recepisset, insequenti die contione habita commemorat* et q. s.

# VITA.

Natus sum Eugenius Nicolaus Fourer a. h. s. 59 die 5 mensis Decembris Baerendorfii qui pagus haud procul a Tribus Tabernis Alsatorum situs est, patre Nicolao matre Elisabetha e gente Wagner quibus adhuc superstitibus gaudeo. Fidem profiteor catholicam. Elementa a patre ipso doctus linguae latinae rudimentis instructus a Fengero viro paternae in me benignitatis, ne statim artes liberales amplecterer, impedivit bellum anno 70 inter Germanos et Gallos exortum. Quo confecto adii progymnasium Bitense, quinque annis post gymnasium episcopale Montiniense. Aestate anni 80 maturitatis testimonium adeptus me tradidi per quatuor annos studiis philosophicis et theologicis in seminario Metensi. Anno 81 sacris me initiavit R. D. du Pont des Loges episcopus Metensis, post tres annos sacerdotem me ordinavit R. D. Fleck tunc coadiutor nunc episcopus Metensis. Deinde ut incumberem in studia historica et philologica, autumno anni 84 disciplinam subii almae Universitatis Bonnensis cuius adhuc sum civis. Docuerunt me viri cl.: Bischoff, Buecheler, Dove, Foerster, Kekulé, Klein, Luebbert, Neuhaeuser, Nissen, Rein, Ritter, Schaarschmidt, Usener, Wiedemann. Ad seminarium historicum benigne me admiserunt Dove, Ritter, Nissen, ad geographicum Rein, per ter sex menses interfui proseminario philologico. Quibus viris omnibus optime de me meritis gratias ago quam maximas, potissimum vero Nisseno et Reinio, quorum memoriam semper colam animo pientissimo.

# SENTENTIAE CONTROVERSAE.

1. Trinundinum quod Romani in promulgandis legibus observabant, erat viginti quatuor dierum.

2. Quae Nicolaus Damascenus tradit de coniuratione in Caesarem facta fide dignissima sunt; a Nicolai narratione proxime abest Suetonii.

3. Alcuinus anno c. 780 ‚versus de patribus regibus et sanctis Eboracensis ecclesiae' composuit.

4. Ab iis quae Sutrii pacta sunt anno 1111 Paschalis papa alienus non erat, nec statuta sunt ea invito pontifice.

5. Eo quod distinxit Aristoteles inter causam materialem et formalem, antiquam philosophiam magnopere provexit.

6. Contra Nipperdeium contendo legiones quarum adventus e Sicilia nuntiatus est, non fuisse XIII et XIIII (Caes. Comment. p. 220).

7. In Platonis Cratylo verba ἀπογενομένου δὲ αὐτὸς οὗτος πόθος ἐκλήθη tamquam glossema delenda sunt (Crat. p. 420 E).

8. In Ciceronis verbis (ad Att. II 16. 2) ‚oppressos vos, inquit, tenebo exercitu Caesaris' J. F. Gronovius et Bootius (ed alt.) iniuria putaverunt ‚Caesaris' vocem suspectam esse.